AN. LXXVIII SERIES VII FASC. III. AN. 1953

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., O. P. S. C. S. Officii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N, 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - IX - 1953.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

PIUS PP. XII. In Constitutionem Apostolicam « *Exsul. Familia* » animadversiones. (FERRETTO, J.) . . . . . Pag. 363
— *Epistula* ad Rev.mum P. Ludovicum PAULUSSEN, S. J., Praesidem Segretariatus centralis Congregationum Marianarum: de earundem recens constituta foederatione, cuius statuta approbantur. (***) . . . . . » 376

S. C. S. Officii.

Ad novam disciplinam circa ieiunum Eucharisticum commentarium. (CASTELLANO, M.) . . . . . » 386
DECRETUM: proscriptio libri: *Les événements et la foi* 1940-1952. (Adn. C. M.) . . . . . » 411
DECRETUM: Sacerdos Leonardus FEENEY excommunicatus declaratur. (Adn. C. M.). . . . . » 415

S. C. de disciplina Sacramentorum.

Instructio pro postulandis apostolicis indultis oratorii domestici, altaris portatilis, litandi Missam sine ministro et asservandae SS. Eucharistiae in privatis sacellis: (Adn. ZERBA, C.) . . » 421

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

Sacra Romana Rota.

Coram R. D. Arcturo WYNEN, *Ponente*. HIEROSOLYMITANA. *Nullitatis Matrimonii, Separationis et Alimentorum. Incidentium* . . . » 431
Coram R. P. D. Francisco BRENNAN, *Ponente*. *Nullitatis Matrimonii.* » 443

Tribunal App. Vicariatus Urbis.

NEAPOLITANA. *Nullitatis Matrimonii.* (N. N.) F. ROMITA, *Ponens.* . » 450

STUDIA ET CONSULTATIONES

SIRI, G. De methodo . . . . . » 457
BENDER, L. Determinatio personae subdelegate ad assistendum matrimonio (c. 1096) . . . . . » 466
BIDAGOR, R. Circa interpretationem canonis 1098 C. I. C. . . » 473

JUS ECCLESIASTICUM

Italia.

GIURISPRUDENZA
Cassazione Civile Sez. I - 12 feb. 1953 n. 359. Cose Sacre - *Deputatio ad cultum* - Estremi - Effetti . . . . . » 491

Cassazione Sezioni Unite. 16.3.1953, n. 632. Matrimonio - Sentenza di nullità - Delibazione - Condizioni di efficacia della sentenza straniera - Accettazione della giurisdizione straniera. . . Pag. 492
Cassazione Civile. Sez. I. 21.3.1953, n. 731. - Matrimonio - Trascrizione e matrimonio religioso - Effetti civili . . . . . » 492
SANTOSUOSSO, F. Il clero e i reati elettorali . . . . . » 494

RECENSIONES

J. STAUDINGER. *Il mistero dell'al di là.* (CARPINO, F.) . . . » 503
E. ZOLLI. *L'Ebraismo.* (CARPINO, F.) . . . . . » 504
S. GAROFALO. *Dal Vangelo agli Evangeli.* (CARPINO) . . . . » 504
R. SPIAZZI. *La Missione dei Laici.* (PUCCINELLI, M.) . . . . » 505
SCHOLASTICA RATIONE HISTORICO-CRITICA INSTAURANDA. *Acta Congressus Scholastici Internationalis, Romae Anno Sancto MCML celebrati.* (FABRO, C.) . . . . . » 508
A. M. GOICHON. *Le vie contemplative est-elle possible dans le monde?* (V. BARONE) . . . . . » 510

DOCUMENTA

Allocutiones.

Pii PP. XII. Alumnis Catholicis Studiorum Universitatis Sorbonicae, Sodalitati « Centre Richelieu » adscriptis . . . . » 511
— Iis, qui interfuerunt Conventui internationali quinto de psychotherapia et psychologia, Romae habito. . . . . » 513
— Sociis Sodalitatis Scriptorum ephemeridum exterarum Nationum in Urbe degentibus. . . . . » 520
— Adscriptis Sodalitati catholicae ex Operariis, ob commemorationem Litterarum Encyclicarum « Rerum novarum » coadunatis » 523
— Dirigentibus Sodalitatum Italicarum de arte gymnica ac de lusoriis corporis exercitationibus, seu « sport » . . . . . » 528

CHRONICA

Acta Pii PP. XII - Acta SS. Congregationum (MAURO, A.) . . » 531
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1953_78_3

ACTA PII PP. XII

IN CONSTITUTIONEM APOSTOLICAM « EXSUL FAMILIA » ANIMADVERSIONES

(Cfr. *Monitor Ecclesiasticus* vol. 78 (1953), pag. 7-22)

I

PROEMIUM

1. De constitutionis apostolicae causa.

Qua quidem causa Pontificium prodierit documentum, brevibus sane, sed haud obscuris verbis in capite tertio tituli primi edicitur. Necessitas, nempe, urgebat pro viribus adsistentiam suppeditandi profugis et emigratis, quorum copia in dies tam adaugebatur ut non tantum Europae et utriusque Americae fines, sed et Australiam atque Philippinas insulas ipsi petere compellerentur.

2. De ratione quae novas moderatur leges.

Ratio insimul significatur potissima novarum legum moderatrix: unumquemque loci Ordinarium aptis instruere normis, a legibus Codicis Juris Canonici non discrepantibus, sed earumdem menti atque consuetudini apprime respondentibus, eique opportunas dare facultates, ut alienigenis sive advenis sive peregrinis spiritualem posset praebere adsistentiam necessitatibus haud imparem nec minorem qua ceteri fideles in sua dioecesi perfruuntur.

Nuper ergo promulgatae leges huc profecto spectant, ut ea spiritualis adsistentiae emigrantibus constituatur ac promoveatur ordinatio, qua fidelibus in externis regionibus, etsi ad tempus (laboris vel studiorum causa, vel in exsilium actis, vel patria expulsis) versantibus, ac nullimode cum animo ibidem diu vel in perpetuo manendi, eadem praeberi possint religionis subsidia, quibus, derelicta in domo, perfrui liceat.

Haec, ut fusius videbimus, praecipua Constitutionis opera, haec, ut ita dicam, nova quae sunt inducta.

In ceteris vero documenti locis, normae quae plus minusve erant usu definitae, qua variando, qua pressius enuntiando, in unum congestae sunt, vel confirmatae vel emendatae.

Novas autem esse inducendas rationes Ecclesia Sancta, qua pollet caritate, sollicite percepit, perceptasque inivit. Quod sane requirebant peculiares perennesque necessitates emigrantium, qui dum patriae desiderium, filiorum instar, fovent, dissimili utuntur sermone, dissimilibus moribus, dissimilique animi cultu, aliter ac indigenae sentiunt aliterque loquuntur, et in ipsa ecclesia quam fidenter adeunt oraturi, non tantum hospites, sed fere extranei sibimetipsis videntur.

Minime ergo a vero aberrat qui magnum adfirmat habitum esse incrementum firma in illa semita fretum, quam clari in hac re praecones, latum hunc ac praestantem apostolatum suscipientes, mira contentione ingentique nisu effoderunt.

Hisce, eisdemque maximi momenti, praemissis res in titulo altero propositas aggredi possumus, scilicet normas pro spirituali emigrantium cura gerenda.

3. De legum evolutione et de necessitate eas ordinandi.

Omnes probe norunt Litteras Apostolicas Motu Proprio « *Cum omnes catholicos* », quibus B. Pius Pp. X, de catholicorum in exteras regiones emigratione valde sollicitus, novum apud S. Consistorialem Congregationem Officium seu Sectionem de spirituali emigrantium cura constituit, ante Codicem promulgatum, die nempe 15 augusti a. 1912, editas fuisse.

Die 30 decembris 1918, decretum illud celeberrimum « *Magni semper negotii* » a Benedicto Pp. XV datum fuit de clericis in certas quasdam regiones demigrantibus, quo vigentibus tunc normis, per decretum « *Ethnographica Studia* », diei 25 martii 1914 promulgatis, Legislator derogavit, quaedam ulterius addidit, quaedam vero temperavit, et omnia, quantum fas erat, legibus novi Codicis Juris Canonici coordinavit.

In his autem pontificiis documentis de emigratione editis, a competentia S. C. Consistorialis explicite excludebantur fideles ritus Orientalis sive laici (« salvo tamen iure Sacrae Congregationis *de Propaganda Fide* in emigrantes ritus Orientalis, quibus eadem Congregatio pro suo instituto opportune consulat »: Motu Proprio *Cum omnes catholicos*) sive clerici (« integra lege Sacrarum Congregationum *de Propaganda Fide* et pro negotiis Orientalibus circa sacerdotum huius ritus migrationem... »: Decr. *Magni semper negotii*, cap. I). Subsequenti vero tempore S. Congregationis pro Ecclesia Orientali competentiam nonnihil adauxit Pius Pp. XI Motu Proprio « *Sancta Dei Ecclesia* » diei 25 martii 1928, vi cuius plenam et exclusivam jurisdictionem Sacra illa Congregatio obtinuit in nonnullis regionibus etiam Europae et quidem non in fideles

tantum Orientalis ritus sed etiam in fideles ritus Latini eorumque hierarchiam, opera, instituta et pias societates.

Sacra igitur Consistorialis Congregatio, cui ad normam nuper relati Motu Proprio B. Pii Pp. X omnium emigrantium Latini ritus demandata fuerat spiritualis cura, ad transmarinas oras continebat ac moderabatur accessum sacerdotum praesertim, ne dicam solummodo, qui ab Italia vel ab aliis Mediterraneis oris proficiscentes, Americam vel Insulas Philippinas expetebant. Sacra vero Congregatio *de Propaganda Fide* sacerdotum accessum in Australiam vel Novam Zellandiam « ex Europaeis dioecesibus » temperabat (decretum « *Ad tuendam disciplinam* » diei 21 octobris 1948).

Normas praeterea sacerdotum emigrationem moderantes pro Italis S. Consistorialis Congregatio ipsamet exequendas curabat, pro Hispanis vero ac Lusitanis Apostolicae Sedis apud eas nationes Legatis commiserat.

Ad normam, tandem, Decreti « *Magni semper negotii* », quotiescumque de migratione agebatur ultra semestre producta, Ordinarii *ad quem* requirebatur consensus; postremis hisce annis, rogantibus quidem Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Ordinariis, idem consensus fuit expostulatus etiam pro brevissimo in illis dioecesibus commorationis spatio.

Nemo est qui ignoret rectam veramque disciplinae rationem unitate firmari: ad hanc ut quam maxime congerentur sparsim iam extantes in re migratoria normae, curavit Legislator competentiam in primis definiendam. En ergo argumentum capitis primi, cui titulus:

II

DE COMPETENTIA S. CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS

4) Competentia in emigrantes in genere.

Prima quae hic habetur norma, quam a Motu Proprio B. Pii Pp. X (15 augusti 1912) Legislator mutuatus est, decernit ut cura christifidelium Latini ritus emigrantium, quamcumque adeant regionem, exclusive demandetur Sacrae Congregationi Consistoriali cuius tamen erit consilia cum Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali et cum Sacra Congregatione *de Propaganda Fide* apte inire si emigrationis locus alterutrius potestati sit obnoxius.

Quibus rite statutis, nonnihil extendit Legislator Sacrae Congregationis Consistorialis competentiam, curam ipsi concredens emigrantium ritus Orientalis, collatis, ut patet, consiliis cum Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali, quotiescumque tantum agitur

de emigrantibus qui territoria expetunt illi Sacrae Congregationi minime obnoxia nec praesto sit sacerdos proprii ritus. Hoc, exempli gratia, habetur quando navis in qua est sacerdos Latini ritus, ab Occidentalibus regionibus discedens ad finitimi Orientis portus appellit et in eam Orientales emigrantes conscendunt, qui unam alteramve trans Oceanum rempublicam adire contendant.

5. COMPETENTIA IN SACERDOTES EMIGRANTES.

Secunda norma sacerdotes ritus Latini, et ipsos emigrantes, sollicita prosequitur cura: competentia, in casu, unice et exclusive Sacrae Congregationi Consistoriali reservatur etiam si sacerdotes Latini ritus subiecti existant Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali (puta, sacerdotes Eparchiae Planensis Graecorum) vel Sacrae Congregationi *de Propaganda Fide* (hoc, exempli gratia, accidit pro sacerdotibus Sueciae et Norvegiae) et territoria adeant neutri Sacrae Congregationi obnoxia.

Quin immo, edicitur in lege, iidem sacerdotes Orientales, si in regiones demigrent Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali minime subiectas, servent oportet leges quibus sacerdotes Latini ritus, si demigrent, obstringuntur: necesse est ergo ut habeant consensum Episcopi *ad quem*. Item sacerdotes Orientalis ritus, nisi praehabita Sacrae Congregationis Consistorialis licentia, emigrantium Latini ritus, etsi suae nationis civium, spirituali adsistentiae vacare non possunt: puta sacerdotem ritus Byzanthini e diocesi Lungrensi qui civibus Calabris ritus Latini adsistere velit.

6. Decernit deinde ut omnes sacerdotes ex Europa et ex oris Mediterraneis discedentes transmarinas adituri regiones per quodvis temporis spatium, scilicet sive breve sive longum sive indefinitum aut in perpetuum, etiam ergo ad effectum incardinationis, licentia Sacrae Congregationis muniantur, nisi incidere velint in poenas decreto « *Magni semper negotii* » statutas.

Qua obbligatione tenentur quoque Religiosi viri, nisi Superioris licentia praediti domus adeant sui Instituti, iidemque qui vel exclaustrationis vel saecularizationis obtinuerint rescriptum.

Sacra autem Congregatio sua haec munera adimplet vel directe (quoad Italos et quoad extorres orientalibus Europae regionibus) vel per Apostolicae Sedis Legatos aptis, ad hoc, instructos facultatibus in eorum sacerdotum commodum qui in Legationis finibus versantur.

7. Consensus Ordinarii *ad quem* semper est necessarius et in omnibus casibus haberi debet, per quodvis temporis spatium ex-

postuletur licentia; haec vero si pro una dioecesi data est, pro altera vim non habet novaque urget instantia ad eandem auctoritatem, quae priorem concessionem dedit. Hoc quoque in casu Sacra Congregatio Consistorialis, ne gravior efficiatur legis observantia, Apostolicae Sedis Legatos, in transmarinas regiones missos, peculiaribus congruisque facultatibus instruere consuescit ita ut, servatis servandis, concedere valeant sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis legitime immigratis in territorium Nuntio, Internuntio vel Delegato Apostolico assignatum, licentiam migrandi ex una in aliam dioecesim etiam alterius dicionis, dummodo, quoad temporis spatium, nisi in casu necessitatis, termini praecedentis concessionis ne praetereantur.

Licentiam is potest prorogare qui pridem concessit.

8. Competentia concedendi indultium pro erectione « paroeciae » et « missionis cum cura animarum » pro diversitate sermonis seu nationis in commodum emigrantium.

Prima posita norma, pressior consequitur competentiae ambitus definitio. Cum enim aptior tutiorque ratio spirituali fidelium commodo consulendi, ipsorum curam a parochis, modo quidem stabili, suscipi suadeat, Apostolica Constitutio (art. 4) decernit ut Sacrae Congregationis Consistorialis sit indultum concedere, ad normam can. 216, § 4 C. J. C., ut paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis *in commodum emigrantium* constitui possint.

Pariter Sacrae Congregationis Consistorialis est facultatem concedere Ordinariis erigendi « missionem personalem cum cura animarum » pro diversitate sermonis seu nationis (art. 34).

9. Competentia in sacerdotes qui curae spirituali emigrantium incumbunt.

Et hoc insimul consequitur: ubi pro locorum vel rerum adiunctis dictae paroeciae haberi nequeant, Sacrae eiusdem Congregationis Consistorialis erit emigrantium commodo providere opera peculiarium sacerdotum: recogites missionarios emigrantium.

Haec ergo generalis nunc pro cuiuslibet regionis emigrantibus exstat lex, quae proinde, ut nonnulla afferam exempla, sive pro Sinensibus in Insulas Philippinas profugis valet, sive Mexicanis in quasdam dioeceses Americae Septentrionalis demigratis, sive pro Hungaris vel Polonis in Republica Argentina vel in Australia exsulibus. Hucusque S. Congregatio Consistorialis, vi Decreti « *Magni semper negotii* », directe cavebat de Italis sacerdotibus, qui aut in itinere transmarino aut in exteris commorationis locis, Europa minime excepta, suae nationis civibus et praecipue agricolis aliisque operariis demigrantibus, sacrum ministerium praestare cupiebant.

III

NOVA GENERALIS COMPOSITIO CURAE SPIRITUALIS EMIGRANTIUM

10. Qua vero ratione, vi Pontificii Documenti, spiritualis emigrantium cura in praesens constituatur, hic evadit peropportunum considerare.

In huiusmodi igitur adsistentiae ratione primum locum obtinet Sacra Congregatio Consistorialis cum Delegato ad opera de emigratione. Quae deinceps constituuntur ac praecipiuntur, hoc proprium habent, quod ab exordio usque ad quendam progressionis gradum ipsa Apostolica Sede directe moderante procedunt; postea, vero, Apostolica Sede sedulo advigilante, in dioecesanum ordinem congruenter aptantur. Episcopis enim, quorum potestas integra servatur, facultates ab augusto Legislatore attribuuntur, quibus emigrantium saluti satius consuli possit, tutius eorundem promoveatur commodum, et locorum ac temporum superatis difficultatibus, maior oboriatur firmitas, constantior fiat exitus.

11. Potiora, in re, haec exstant fulcimina:

1) Summum consilium de emigratione.

2) Directores nationales qui insimul munere funguntur secretarii Commissionis Episcopalis pro spirituali advenarum adsistentia.

3) Directores missionariorum emigrantium et directores cappellanorum navigantium: uniuscuiusque nationis missionariorum et cappellanorum coetus (Itali, Poloni, Germani, etc.) suum nancisci potest directorem.

4) Missionarii emigrantium, cum vel sine animarum cura, et Cappellani navigantium.

Haec omnia etsi breviter recensere placet.

12. De « missionariis emigratium » et de « cappellanis navigantium ».

Sacerdotes hoc nomine nuncupantur, qui, sive peculiaribus votis in aliquo Instituto adstricti, (missionarii a Sancto Carolo pro Italis emigrantibus; sodales Societatis SS. Angelorum; sodales Societatis Christi pro emigrantibus: illi pro Italis, isti pro Germanis, hi vero pro Polonis), sive alicui dioecesi incardinati, Apostolicae Sedi ultro sese offerunt, sacro ministerio inter emigrantes aut navigantes perfuncturi.

Delecti a Sacra Congregatione Consistoriali, ipsa curante ut decet instituuntur; (exstat - pro Italis - Pontificium Collegium Sacerdotum pro Italis ad externa emigrantibus ad Aedes S. Apollinaris, de quo in capite VI Constitutionis); probationem deinde consecuti, congruo Sacrae Congregationis documento, ad tempus in rescripto definitum valituro, nominantur, et ab eadem Sacra Congregatione loci designationem accipiunt.

Cappellanis navigantium jure meritoque annumerandi sunt Cappellani Apostolatus maris.

Cappellanus enim Apostolatus maris potissimum fovere debet spirituale et morale commodum maritimorum sive in navigatione, una iter peragens, sive in terra dum naves in portibus consistunt, eosdem maritimos domibus, instar refugiorum, aptis excipiens, quae, a « Stella maris » nuncupatae, iam Europae et Americae Septentrionalis marium in viciniis usque florescunt.

13. De missionariis emigrantium in specie.

Quoad missionarios emigrantium haud superfluum videtur adnotare de peracta nominatione utrumque Ordinarium, *a quo* et *ad quem*, pariter certiorem fieri a Sacra Congregatione Consistoriali (art. 5, § 2, 1°).

Quos vero effectus haec nominatio inducat, nunc animadvertere volumus. Ipsam in primis iuvat considerare quoad iuridicas rationes oborientes inter sacerdotem eadem instructum - sive saecularem, sive regularem - et Ordinarium cui est obnoxius, necnon inter sacerdotem et Ordinarium loci in quo missionarius sui ministerii partes vel obit vel est obiturus.

Verba Constitutionis perspicue liquent.

Consistoriale rescriptum nullo modo derogat a normis juris communis, quae rationes inter clericos et Ordinarium suum, necnon inter clericos et Ordinarium loci moderantur: «... excardinationem non parit nullamque dat exemptionem sive a proprio Ordinario aut Superiore regulari sive ab Ordinario loci in quo missionarium et cappellanum versari contingat » (art. 18, § 2).

Idem dicendum, ut patet, de cappellanis navigantium ac de utrorumque Directoribus.

Aliquid tamen peculiare missionarii nomen cum munere affert. Solemne Sanctae Sedis habetur, ad exercendum nempe inter emigrantes ministerium, mandatum, cuius vi sacerdos talis efficitur, qui ministerialibus facultatibus instruatur a quolibet loci Ordinario (art. 33).

Quae sunt hae facultates? Omnes, per se, ministeriales facultates, quas, ad normas iuris communis, Episcopus concedere potest.

Latius tamen patet Apostolica Constitutio, et Ordinariis, ut elargiantur missionariis facultatem animarum curam gerendi in emigrantium commodum, non tantum dat potestatem, sed hortationem movet.

14. De erectione « missionis personalis cum cura animarum ».

Qua in re una eademque perspicua ponitur condicio: antequam hunc actum Ordinarius perficiat, analogice ad praescripta can. 216, § 4 Cod. J. C., in singulis casibus recurrere debet ad Sacram Congregationem Consistorialem: « ... audita Sacra Congregatione Consistoriali... (art. 34) » ut facultatem obtineat erigendi missionem personalem cum cura animarum pro diversitate sermonis seu nationis.

15. De « missionis » proprietatibus.

Tali modo erectae missioni peculiares suae facultates non desunt, quae quidem necessario consequuntur ex singularibus adjunctis persaepe comitantibus ministerium inter emigrantes, praesertim si agatur de migratione per anni tempus tantum producta, puta in cunicolis laborantes.

a) - Ut missio erigatur, nullus requiritur materialis aedificii contextus, neque cappella sensu stricto dicta; quo in casu Episcopi erit providere, aptis editis normis, ut missionarius-parochus in aliqua loci ecclesia, paroeciali non excepta, (art. 37 § 2) ministerium suum plane et libere exercere valeat.

b) - missionem personalem conflabunt, ideoque missionario-parocho erunt subjecti, emigrantes tantum, etsi ex coloniis migrarunt, eorumque descendentes in primo gradu lineae rectae (art. 40).

c) - Fas est tamen emigrantibus, religionis officia adimpleturis, missionarium-parochum adire, vel parochum loci (art. 39); qua de re sapienter statuitur ut missionarius cui onus impendit libros paroeciales conficiendi, de quibus in can. 470 Cod. J. C., unum librorum exemplar, anno exeunte, parocho loci remittat, alterum autem missionariorum Directori. (art. 35 § 2).

d) - Missionarius-parochus in munerum exercitio parocho aequiparatur.

In particulari *quoad administrationem Sacramenti Confirmationis*: missionariis emigrantium, cum ab Ordinario loci commissa fuerit cura animarum immigratorum in propria dioecesi vel in toto territorio vel in eius parte, ipso iure competit potestas administrandi subditis, in articulo mortis constitutis, sacramentum confirmationis ad normam decreti S. Congregationis de disciplina Sa-

cramentorum « *Spiritus Sancti munera* » diei 14 septembris 1946. (*A.A.S.* XXXVIII, pag. 349).

Quoad vero assistentiam matrimoniis: missionarius emigrantium, cui animarum cura concredita est, servatis ceteris de jure servandis, intra fines territorii sibi praestituti, valide assistit matrimoniis quando alteruter nupturientium sibi sit subditus.

Ad liceitatem quod attinet servetur praescriptum can. 1097, § 2, Cod. J. C. juxta quem « In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi justa causa excuset... ».

De investigationibus super statu nupturientium religiose servetur Instructio S. C. de disciplina Sacramentorum « De normis a parocho servandis in peragendis... » edita die 29 junii 1941, praesertim praescripta nn. 4 et 10 (*A.A.S.* XXXIII, pag. 297-307).

e) - Potestas qua fruitur huiusmodi missionarius est personalis et cum parochi loci cumulativa (art. 36).

16. De cappellanis navigantium in specie.

Quae de missionario-parocho hucusque diximus, aeque non valent pro navigantium cappellano, qui quidem insequentibus fruitur, breviter perstrictis:

a) - facultate quam sacerdotibus iter maritimum arripientibus jus commune tribuit;

b) - facultatibus quae ad animarum ministerium, etsi presse circumscriptum, sunt necessariae: « Proprium est cappellanorum navigantium, itinere maritimo perdurante, curam animarum gerere, excepta re matrimoniali » (art. 25, § 1);

c) - ceteris facultatibus quas, in peculiari indice significatas, Sacra Congregatio Consistorialis concedere solet (ib. § 2): puta administrandi confirmationem in articulo mortis ad normam decreti *Spiritus Sancti munera.*

d) - facultatibus quae ecclesiarum rectoribus competunt, si in navi legitimum oratorium exstat (art. 26).

Navigantium cappellanus tenetur quoque obligatione conficiendi baptizatorum, confirmatorum ac mortuorum libros horumque excerpta, itinere confecto, Directori tradendi in archivo custodienda.

De huiusmodi libris custodiendis et de authentico eorundem exemplari ad Curiam transmittendo, S. C. Consistorialis statuit:

1) - ut authenticum exemplar librorum baptizatorum, confirmatorum et mortuorum a cappellanis navigantium conscriptorum, ad Curiam transmittatur dioecesis in qua Directoris officium est constitutum;

2) - ut unius Directoris sit libros, sibi a cappellanis navigantium traditos, ad Curiam transmittere;

3) - ut ad amussim servatis hac de re sacrorum canonum normis, de actis in libris conscriptis quamprimum etiam parochus domicilii eorum de quibus in libris agitur a Directore certior fiat.

Addere placet Ordinarium dioecesis cui adhaeret portus ubi navis habitualiter consistit, jure benedicendi et erigendi navium oratorium rite potiri (art. 30).

17. De missionariorum et cappellanorum directoribus.

Caput tertium (art. 18-23) de Directoribus, tum missionariorum emigrantium, tum cappellanorum navigantium copiose dicit.

Huiusmodi Directores nullam iurisdictionem sive territorialem sive personalem vi muneris exercere valebunt (art. 19).

Pro suo tamen officio, Director cum Episcopis agere debet, eisque missionarios rite nominatos praesentare; ad eum pertinet missionarios dirigere, vigilare, advocare; de iisdem, sub finem cuiuslibet anni, sicut de missionis condicione, Sacrae Congregationi Consistoriali referre.

Patet ex dictis officium Directoris cum Vicarii foranei munere aliquatenus comparari posse.

IV

QUIBUS RATIONIBUS EPISCOPI CURAE EMIGRANTIUM COOPTANTUR

Attamen Legislator consuluit, ne Sacra Consistorialis Congregatio per se solam tanto negotio vacaret, sed Ordinarios variis in dicionibus exstantes, gravis laboris, etsi indirecte, fecit participes.

Haec igitur recensenda veniunt:

18. De directoribus nationalibus.

Ad hoc munus a S. Congr. Consistoriali extolluntur Sacerdotes qui, Episcopis auctoribus, praeficiuntur operibus in commodum emigrantium constitutis: quae sint, si scire cupis, pro locis immigrationis videas Caput IV: De cura animarum ab Ordinariis locorum in alienigenas exercenda, ubi fuse, et art. 49, § 1, parte prima, ubi breviter nempe nationalia vel diocesana opera et consilia vel comitatus exponuntur; pro locis emigrationis, recolas Italiam, videsis caput V de quo infra dicemus.

In regione immigrationis simulque emigrationis saltem, ut dicunt, internae, idest patriae fines minime excedentis, unus constitui potest pro utraque Director Nationalis, nisi Ordinarii binis Directoribus rem malint committere.

19. De summo consilio de emigratione.

In Summum Consilium de emigratione, quod et ipsum apud Sacram Congregationem est institutum, primo loco (art. 7, § 3, 1°) adsciscuntur Sacerdotes, qui, Episcopalium Commissionum ubi habentur, pro emigrantium spirituali cura, in Constitutione commendatarum (« initumque hoc provide consilium et in aliis regionibus haberi cupientes » art. 6, § 1) secretarii munere perfunguntur vel qui de Praesulum mandato in huiusmodi adsistentiam incumbunt.

20. De secretariatu generali internationali ad moderandum opus apostolatus maris.

Cum Summo Consilio de emigratione quamdam gerit similitudinem Secretariatus Generalis Internationalis *Apostolatus maris*, cuius Sacra Congregatio Consistorialis, jam a die 30 maii 1942, tenet moderamen.

Cooptantur in ipsum, primo equidem loco, Directores nationales convenientibus Episcopis nominati.

V

DE DELEGATO AD OPERA DE EMIGRATIONE

21. Delegatus ad Opera de emigratione, de quo fuse agit Apostolica Constitutio, ac praesertim in capite II, longa, ut ita dicam, videtur Sacrae Congregationis manus in emigrantium bono sollicite promovendo et in missionariis, cappellanis eorumque Directoribus studiose moderandis.

Proprium Delegati est curare et fovere, iis omnibus auxiliis quae aptiora videantur, bonum, praesertim spirituale, fidelium emigrantium cuiusvis sermonis, stirpis, nationis, ac, servatis servandis, ritus; initis ad hoc, si casus ferat, rationibus sive cum Secretaria Status Summi Pontificis, sive cum civilibus magistratibus et institutionibus. (art. 10, § 1).

Hunc in finem Delegatus, nomine et de mandato Sacrae Congregationis Consistorialis, et opera et consilio favebit et adsistet omnibus consociationibus, institutionibus et operibus catholicis, sive

internationalibus sive nationalibus, necnon — salvo jure Ordinariorum — dioecesanis et paroecialibus, quae idem prosequi intendant. (art. 10, § 2).

Delegati est quaerere et praesentare Sacrae Congregationi Consistoriali sacerdotes, qui sese dedere cupiant curae spirituali emigrantium necnon eorum, qui iter maritimum arripiant vel quavis de causa in navibus versentur aut addicantur (art. 12).

Delegatus praeest missionariis emigrantium et cappellanis navigantium sive saecularibus sive regularibus eorumque Directoribus. (art. 11 § 1); ad missionem vel ad navem mittit illosque auxilio quo indigent adiuvat (art. 13).

Eosdem, de mandato Sacrae Congregationis Consistorialis, moderatur, illis invigilat, et de iisdem referre curat. (art. 11, § 2).

Certiores facit Ordinarios locorum et Directores de emigrantibus mox adventuris (art. 14); et, in fine cuiuslibet anni, de statu materiali et spirituali missionum et de observantia ecclesiasticae disciplinae ex parte missionariorum et cappellanorum Sacram Congregationem Consistorialem edocet (art. 16).

Suum pariter est provehere ac moderari ea omnia quae diei annuatim pro emigrantibus celebrandae incrementum conferre videantur (art. 15).

Ac tandem Summi Consilii de emigratione (art. 7 § 2) et Secretariatus Generalis Internationalis ad moderandum Opus *Apostolatus maris* (art. 8 § 2) Delegatus secretarii munere amplissime fungitur.

Delegato constituto, Praelatus pro Italis emigrantibus et Visitatores vel Delegati cuiuslibet sermonis vel nationis, in bonum spirituale fidelium in Europae vel Americae regiones demigratorum vel profugorum antea constitutos consequenter a munere cessarunt. (art. 17).

VI

AGENDI RATIO AD MODERANDAM SPIRITUALEM ADSISTENTIAM ITALORUM EMIGRANTIUM QUAE IN EXEMPLUM OMNIBUS ORDINARIIS PROFERTUR.

22. In capite V, cui titulus: De spirituali adsistentia ab Episcopis Italiae praestanda emigrantibus, hucusque dictorum vestigia non relinquens, Legislator summatim colligit munera, Ordinarii et parochi, utriusque sane emigrantium curam sustinentis. Recensentur proinde: dioecesani et parceciales comitatus ac patronatus rite constituti; christiana catechesis emigrantibus explanata, et pro-

ducta etiam in locis migrationis spiritualis adsistentia; data ecclesiastica tessera; celebrata emigrantis dies fidelium ad hoc collecta stipe; sacrosanctum Missae sacrificium ad mentem Romani Pontificis semel in anno a parochis adplicatum.

23. Si in congesta generalium legum serie peculiares normas pro Italis miraris edici et in capite VI de Pontificio Collegio sacerdotum pro Italis ad externa emigrantibus speciali modo agi, memorasse juvabit art. 49 et potissimum art. 56.

Legislator nempe de emigrationis operibus in Italia vel constitutis vel constituendis agens, tutum exemplum diuturnaque experientia probatum praebere voluit ceterarum dioecesium Ordinariis, qui in eadem necessitate emigrantibus filiis adsistentiam praestandi forte versarentur.

In ceteris, scriptum in textu legimus, emigrationis extra Italiam locis seu nationibus, ubi conveniens forte desit emigrantibus catholicis illius nationis spiritualis adsistentia, utiliter procul dubio illis consulere valebunt Ordinarii si pro peculiaribus locorum rerumque adiunctis, relatam pro Italis demigrantibus agendi rationem, sollicite inibunt (art. 56).

VII

DIES PRO EMIGRANTIBUS IN TOTO CATHOLICO ORBE CELEBRANDA

24. Quod, in praxi, comprobat art. 49. Legislator enim quamquam de Italis agit, non Italos Episcopos alloquitur, sed Ordinarios locorum, quo Itali demigrare coguntur, eisdem gratulationis sensus libenter promit pro operibus tum dioecesanis tum nationalibus in emigrantium commodum constitutis, pro comitatibus praesertim, hoc enixe efflagitans « ab iisdem expetimus » ut in Italis paroeciis vel ubi Italo loco gnati frequentiores sunt, dies emigrationis, sicut in Italia ex lege fieri solet, singulis annis celebretur.

25. Ac ultra progreditur: eadem enim, commonet Constitutio, pro ceterarum dicionum emigrantibus suscipi possunt, haec, sub finem, exoptando dicens: ita ut uno eodemque tempore, nempe *Dominica prima Adventus*, dies pro emigrantibus in toto catholico Orbe celebrari queat. (art. 49, § 2).

Josephus Ferretto
Sacrae Congregationis Consistorialis Assessor.

EPISTULA

AD REV.MUM P. LUDOVICUM PAULUSSEN, S. I., PRAESIDEM SECRETARIATUS CENTRALIS CONGREGATIONUM MARIANARUM: DE EARUNDEM RECENS CONSTITUTA FOEDERATIONE, CUIUS STATUTA APPROBANTUR.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem. — Omnibus, qui Nostram norunt de apostolatu hodierno mentem, compertum est, quantopere Nobis cordi sint Congregationes Marianae earumque iuge spirituale incrementum. In Constitutione Apostolica « Bis saeculari », quae quasi sinthesis est voluntatis Nostrae circa hanc eximiam et peculiarem Actionis Catholicae formam, Apostolica Auctoritate Nostra tales normas et leges statuimus, quibus « hae pietatis actuosaeque christianae vitae palaestrae magis magisque in dies vigeant ac robobentur » [1]. Nihil igitur mirum, si magno cum gaudio et solacio accepimus Congregationes Marianas legitime conditas ac Primae Primariae Collegii Romani aggregatas, quo melius « in omni re cum Ecclesia sentiant » [2], in animo habere Foederationem in universo terrarum orbe constituere, qua obsequentes Nostris assiduis exhortationibus de maiore usque unitate provehenda ac mutua invicem conferenda opera, uberiores consequantur una cum omnibus militantis Ecclesiae huius generis consociationibus salutaresque fructus. Huiusmodi Foederatio, quae ad totam Catholicam Ecclesiam pertinere debet, cum nondum ubique terrarum foederationes « tum eiusdem classis tum eiusdem regionis » [3] constitutae sint, suscepta hac de re proposita ad felicem exitum omnino adducet.

Quamobrem Statuta Foederationis huius libentissime approbamus et commendamus, invitantes omnes totius mundi minores foederationes iam existentes, ut universae eidem Foederationi adhaereant.

Quoniam vero in votis est, ut primus Foederationis Universalis Congressus Romae proximo anno habeatur, primo nempe exeunte saeculo, ex quo Decessor Noster fel. rec. Pius IX dogma Immacu-

---

[1] *A. A. S.* 40, pag. 399.
[2] Reg. Comm. 33.
[3] Reg. Comm. 68.

latae Conceptionis Beatae Mariae Virginis sollemniter decrevit ac sanxit, itemque sexagesimo revoluto anno a Nostra Congregationis Marianae consecratione, Congressioni huic eiusque propositis atque inceptis bene omnia precamur.

Quo uberiores autem ex eo Congressu oriantur fructus, Nobis visum est, quaedam vobiscum hac de re per has Litteras communicare.

Argumentum hisce in coetibus agitandum, quod quidem a « Secretariatu Centrali » Nobis fuit propositum, valde opportunum esse videtur. Hisce siquidem verbis enuntiatur: *Maior Dei gloria procuranda, per maiorem selectionem, maiorem cum Hierarchia coniunctionem, maioremque cum ceteris consociationibus apostolicis invicem conferendam adiutricem operam.* Haec enim paucis praecipua complectuntur, quae in Constitutione Apostolica « Bis saeculari » a Nobis exposita fuere. Hanc autem Constitutionem volumus ut Sodalitates tamquam primariam legem sibi teneant, persuasum habentes se eo validiores, prosperiores, efficacioresque fore, quo fidelius eius praescriptionibus conformabuntur [4].

Maior autem selectio fons omnis renovationis est, ideoque strenue est efficienda, ubi praesertim genuinus spiritus debilitatus est. Ii tantum ad consecrationem perpetuam admitti debent, qui velint et possint, servando Regulas Communes, vitam catholicam agere magis ferventem, magis apostolicam, magisque militantem. Quia Congregationes « pro omni classe fidelium » [5] institutae sunt et reapse in omnibus fidelium coetibus exsistunt, a summo ad infimum, selectio etiam in omnibus, nullo excepto, facienda est. Haec autem selectio, quae eo spectat ut impensior habeatur ex Evangelio derivandus Apostolorum more influxus, neque necessario exigit parvum numerum sodalium, neque impedit quominus Sodalitates consentaneis modis coetus largiores pro non sodalibus efforment, praesertim pro iis qui sunt eiusdem condicionis.

Ex Allocutione Nostra ad Congressum e catholicis gentibus habitum, in quo actum est de apostolatu laicorum, clare elucet, eo puriorem esse naturam Actionis Catholicae, quo arctior habeatur in apostolatu debita cum Hierarchia coniunctio [6]. Liquet igitur, quantum in Congregationibus Marianis laicorum effulgere debeant

---

[4] Allocutio 3 Maii 1951.
[5] Reg. Comm. 4.
[6] *A. A. S.* 43, pag. 789.

notiones Actionis Catholicae propriae: nam eiusmodi Congregationes, semel ac legitime ab Hierarchia conditae sunt, unice et immediate ab Hierarchia pendent in omnibus apostolatus operibus; quapropter, ut iam saepe monuimus, semel ac constitutae sunt, ipso iure et pleno Actio Catholica dicendae sunt atque eodem ordine cum aliis Actionis Catholicae formis sunt censendae [7]. Per novam Universalem Foederationem Congregationes Marianae in sua indole hierarchica nullum detrimentum patiuntur: foederationes enim omnes, nedum debitam coniunctionem cum Hierarchia Ecclesiae debilitent, eam stabiliorem, fortiorem, intimam cotidie magis reddere debent ac volunt.

Mutua collatio operis cum aliis consociationibus apostolicis certe inter primarios Foederationis Universalis fines maior habeatur oportet. Ideo optandum est, ut futurus Congregationum Marianarum Congressus, glorias hac in re a maioribus traditas strenue persequens, uberes afferat fructus. Sodalitates, quae neque ulla nova missione, neque ulla alia associatione indigent, ut Sacris Pastoribus ducibus apostolatum omnimodum, non iam privatum, sed sibi ab Ecclesia demandatum [8] exercere possint, ipsae videant, maiorem Dei gloriam semper intuentes, in quibus rerum adiunctis opportunum sit sodales mittere etiam in alias associationes apostolicas, quarum officia sine spirituali detrimento et operum apostolicorum ipsius Congregationis adimpleri possint.

Denique, pergratum Nobis est videre quomodo sodales, quaerentes non quae sua sunt, sed unice maiorem Dei gloriam et Beatissimae Virginis honorem, [9] insignes se praebeant in impenso amore erga Ecclesiae Pastores, in voluntate sincera mutuae cum ceteris omnibus adiutricis conferendae operae, in diligentia assidua ad procurandam secundum Ecclesiae normas conservationem vel renovationem spiritus regularumque verae Congregationis. Hanc erga rem catholicam puram mentis intentionem ex intimo animo extollimus, optime scientes hunc spiritum praesertim nostris diebus maxime necessarium esse, ut apostolatus laicorum, a Nobis tantopere commendatus, maiorem efficacitatem nasciscatur.

Solacio etiam ac gaudio Nobis est Congregationes Sacerdotum itemque sacerdotii candidatorum, quae, ut plurium saeculorum mo-

---

[7] *A. A. S.* 40, pag. 402. n. XII.
[8] *A. A. S.* 40, pag. 492, n. XI.
[9] Reg. Comm. 53 et 68.

numenta testantur, tam magna cum utilitate pro Ecclesia elaborarunt, etiam hodie florere; eas igitur vehementer commendamus; cum perutiles sint ad optimos Sacerdotes conformandos atque ad futuros ipsarum Congregationum Moderatores opportune praeparandos instruendosque.

Neque silentio preaetereundi sunt omnes, qui votis Nostris obsequentes, eo vires contendunt, ut, in Exercitia Spiritualia, ut revera oportet, incumbentes, ex hoc limpidissimo fonte inspirationem, lumen et facultates hauriant sive ad vitam evangelico spiritu imbuendam, sive ad ipsas ducendas Congregationes, quemadmodum hodierna exigunt rerum adiuncta.

Peculiari autem mentione dignos eos existimamus sodales, Nobis sane addictissimos, in « Ecclesia silentii » viventes, quorum opera, sacrificia et preces in abscondito solus Deus videt ac benignissime excipit. Sciant omnes, qui quoquomodo persecutionem patiuntur propter iustitiam, crucem sibi a divina Providentia oblatam, ad id procul dubio non parum conferre, ut populi, tantis malis oppressi, tandem ad vitam, ad salutem, ad christianam renovationem perveniant.

Multa et praeclara, plerumque — ut decet imitatores Sanctissimae Virginis — sine strepitu, sodales perpetrant in formatione et educatione iuventutis, in restauratione vitae paroecialis, familiaris et socialis. Pergant igitur omnes hanc insistere viam, quamvis impedimentis constratam. Pergant ante omnia pietate praestare actuosissima erga Deiparam Virginem Mariam, itemque interioris vitae studio, navitate apostolica universali, praesertim dedita societati renovandae secundum principia caritatis et iustitiae socialis.

Ut haec omnia, auspice et afflante Beata Maria Virgine, [10] effecta dentur, utque Universalis eiusmodi Foederatio ac Congressus proximo anno habendus salutares fructus edant uberrimos, tibi, dilecte Fili, universisque Congregationum Marianarum Moderatoribus, sodalibus iisque, qui ad eos aspirant, Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 2 mensis Iulii, in festo Visitationis B. M. V., anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

---

[10] *A. A. S.* 40, pag. 398.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.*, vol. 45, pag. 494-497).

STATUTI DELLA FEDERAZIONE MONDIALE DI CONGREGAZIONI MARIANE

I. *Costituzione.*

ART.. 1. - La Federazione Mondiale è costituita, secondo lo spirito della Regola Comune 68, di Congregazioni Mariane legittimamente erette e aggregate alla Prima Primaria del Collegio Romano, e ha sede in Roma.

ART. 2. - La Federazione, pur essendo unica, potrà articolarsi in sezioni riflettenti le diverse categorie dei Congregati.

II. *Finalità e mezzi.*

ART. 3. - Fine della Federiazone è assicurare una più intima connessione tra le Congregazioni tutte e una più efficace cooperazione di esse all'apostolato laico del mondo.

ART. 4. - La Federazione persegue tale fine con tutti i mezzi consentanei e sempre in stretta adesione alle Disposizioni Pontificie e alle Regole Comuni.

ART. 5. - I principali mezzi da segnalare sono i seguenti:

a) promuovere la costituzione di Federazioni Nazionali, Diocesane o Regionali;

b) stabilire contatti internazionali tra le Congregazioni, secondo lo spirito delle Regole Comuni 66 e 67;

c) garantire la mutua assistenza tra Congregazioni di diverse nazioni;

d) rappresentare le Congregazioni Mariane come organizzazione mondiale.

III. *Membri.*

ART. 6. - Possono far parte della Federazione Mondiale esclusivamente le Congregazioni già affiliate a una Federazione Nazionale, Diocesana o Regionale.

Solo in qualche caso eccezionale e a giudizio del Consiglio Esecutivo, una Congregazione isolata potrà venire direttamente incorporata nella Federazione Mondiale.

Art. 7. - Le Congregazioni affiliate a una Federazione particolare accedono alla Federazione Mondiale mediante l'atto di adesione della propria Federazione, sempre supposto il consenso dell'Autorità ecclesiastica.

IV. *Autorità.*

Art. 8. - Tutte le decisioni della Federazione Mondiale son da considerarsi quali norme direttive.

La Federazione Mondiale non deve mai interferire nella vita interna delle Federazioni o delle Congregazioni.

V. *Governo.*

Art. 9. - La Federazione Mondiale è retta da un Consiglio Generale e da un Consiglio Esecutivo.

Art. 10. - Il Consiglio Generale è costituito dal Consiglio Esecutivo e dai Delegati delle Federazioni di ciascuna nazione.

La Delegazione delle singole nazioni risulta, ordinariamente, di due Direttori e di tre Congregati. Le nazioni con più di tremila Congregazioni possono aggiungere un Direttore e un Congregato per ogni mille Congregazioni supplementari.

Le eventuali difficoltà circa la composizione delle Delegazioni saranno risolte dal Consiglio Esecutivo.

Art. 11. - Fan parte del Consiglio Esecutivo: il Direttore della Federazione Mondiale, di nomina pontificia, il Vice Direttore della medesima, che è il Direttore del Segretariato Centrale, e sette Congregati (ossia il Prefetto, il Segretario, il Cassiere e quattro Consultori), eletti per cinque anni dal Consiglio Generale.

VI. *Riunioni.*

Art. 12. - Le sessioni del Consiglio Generale, che si riunisce almeno ogni cinque anni, sono di due specie. Le une *consultive*, presiedute dal Prefetto e dal Direttore del Consiglio, accessibili a tutti i delegati e intese ad appurare i punti di vista dei Congregati. Le altre *deliberative*, riservate ai Direttori, senza il cui beneplacito nessuna deliberazione può esser presa o promulgata come emanante dal Consiglio Generale.

Art. 13. - Il Consiglio Esecutivo, che si riunisce almeno una

volta l'anno, viene costituito secondo le Regole Comuni 50, 51 e 52 e rende conto della propria attività a tutte le Federazioni.

Art. 14. - In ambedue i Consigli si decide a maggioranza di voti.

VII. *Obblighi dei membri.*

Art. 15. - La libera adesione alla Federazione Mondiale implica la accettazione degli Statuti della Federazione e delle Regole amministrative indispensabili all'esistenza stessa della Federazione.

VIII. *Modifiche agli Statuti.*

Art. 16. - Solo il Consiglio Generale può ricevere proposte di modifiche agli Statuti. In caso di accoglimento, queste verranno discusse collegialmente dai Direttori e, se da essi approvate, saranno ulteriormente sottoposte all'approvazione della Santa Sede.

ADNOTATIONES

Haec Statuta, cum adiumento virorum peritorum composita atque a Sancta Sede benignissime approbata et commendata, nihil aliud intendunt, quam fundamentum aliquod praebere, quo innixi fines supernaturales nobis propositos facilius assequamur. Omnia igitur spiritu catholico interpretanda sunt.

Ara. 1. Foederatio Mundialis est conformis Regulae 68, quae agit de confoederatione Sodalitatum. Praeterea exigitur a fine Sodalitatis, in Reg. 1 expresso, siquidem santificatio proximorum et defensio Ecclesiae eam hodie valde commendant. Accedunt vota Summi Pontificis, qui, videns necessitates Ecclesiae hodiernae, instanter hortatur ad maiorem cooperationem et unionem.

Necesse non est enucleare rationes, ob quas sedes huius Foederationis Romae statuitur. Id postulabat, ut alia omittam, devotio Sodalitatum erga Vicarium Christi Romae regnantem, amor in Ecclesiam cuius praecipuae officinae internationales sedem in Urbe habent, accessus undecumque sat facilis et etiam ob alias causas frequens.

Qualis vero haec sedes Foederationis Mundialis esse oporteat, Consilium Generale dicet. Sed nullum dubium est, quin in Centro mere administrativo constare non debeat; enixe enim cupiunt so-

dales undique Romam convenientes Domum invenire, ubi organizatio mundialis CC. MM. eluceat (v. g. permanente expositione activitatum et ephemeridum), ubi cum Sodalibus aliarum nationum colloqui, informationes accipere, ubi adiutorio et servitio omnis generis frui valeant, ubi, uno verbo, habeant *suam Domum.*

Art. 2. Unicitas Foederationis Mundialis est necessaria: non enim decet, ut CC. MM., quae eodem spiritu aguntur iisdemque Regulis utuntur, plures Foederationes Mundiales constituant, quorum capita independenter agant. In campo mundiali deesset organizatio, quae totaliter CC. MM. repraesentaret.

Rationes omnes, quibus intendatur ostendere quantum oporteat Foederationes Mundiales diversae categoriae, v. g. universitariorum, operariorum, iuvenum, etc. instituere, solummodo probabunt, quantum oporteat sectiones pro diverso genere sodalium in una eademque Foederatione Mundiali condere.

Art. 3. Omnibus compertum est utrumque finem et esse hodie necessarium, et obtineri sine Foederatione Mundiali non posse.

Art. 4. Duo requiruntur in usu mediorum: alterum positivum, negativum alterum. Illud est aptitudo mediorum ad finem: hoc est ut nullis Praescriptis Pontificiis et Regulis Communibus obstet.

Omnis ergo timor expellendus est: vis legitimae Auctoritatis integra perseverat, non imminuitur, nedum frangatur: autonomia singularum Congregationum religiose servatur. Quo vero haec luce clarius patescant, articulus 8 exaratus est.

Art. 5. Enumeratio mediorum sine dubio exhaustiva non est. Foederationis erit omnia membra impellere ad haec ipsa adhibenda et ad nova excogitanda. Tria prima media primum finem, quartum medium alterum finem respiciunt.

Art. 6. Itaque ordinaria membra Foederationis Mundialis sunt Congregationes foederatae. Possunt autem adiuncta dari, in quibus immediata Congregationis admissio opportuna sit, v. g. si in aliqua natione sit tantum una Congregatio et ea Foederationi Mundiali adhaerere velit. Ne hi casus sine ratione sufficienti multiplicentur, provisum est, ut adhaesioni praecedat aestimatio approbativa Consilii Exsecutivi.

Art. 7. Auctoritas Ecclesiastica in quavis adhaesione praerequitur, sive ut Congregatio foederationi, quantumvis restrictae, sive ut foederatio quaelibet Foederationi Mundiali adhaerere velit.

Art. 8. Ratio utriusque huius dispositionis, in hoc articulo contentae, ex eo profluit, quod hoc modo finis a foederationibus inten-

tus sufficienter obtinetur, et regula 68, qua foederationes nituntur, bene adimpletur.

Art. 9. Necessitas Consilii verbis ipsius Reg. 68 exprimitur: « Consilio quodam communi constituto ».

Duplicitas Consilii oritur (sicut in qualibet organizatione extensa) ex eo, quod esse debeat *commune* plurimis, videlicet Congregationibus foederatis per totum mundum disseminatis, et *efficax*. Communitas in Consilio Generali, efficacitas in Consilio Exsecutivo solummodo haberi potest.

Art. 10. Utrumque Consilium constituitur Directoribus et maiori parte Sodalium secundum analogiam Consilii ipsius Congregationis (Reg. 18). Nomine autem Directoris venit, tum Director Congregationis, tum Director Foederationis.

Formula proposita ad Delegationes constituendas alicui videri possit parum definita quoad modum et parum proportionata quoad numerum.

Et re vera fatendum est aliquam indefinitionem et improportionem adesse: neutra tamen haec Statuta dedecet. In tanta enim diversitate condicionum in quibus CC. MM. versantur, sive numerum sive factum foederationis earum consideres, et in tanta difficultate rei statisticae, valde temerarium fuisset ante omnem experientiam per accuratiores dispositiones rem definire et singulis aptare. Huiusmodi dispositiones, non solutionum, sed maiorum difficultatum semina exstitissent.

Experientia multa docebit, quae ii, ad quos spectat, sive in haec Statuta per opportunam mutationem huius articuli, sive in Regulamentum Consilio Exsecutivo tradendum, si ita expedire existiment, introducere poterunt. Donec aliter provideatur, Consilium Exsecutivum, pro aequo et bono vel iuxta normas a Consilio Generali acceptas, difficultates solvet.

Meminerint etiam omnes haec Statuta nequaquam esse fundamentum alicuius coetus legiferi. Interest multum ut quam plurimae nationes Consilio Generali adsint: numerus autem delegatorum minus refert.

Ex textu huius articuli liquet unamquamque nationem non habere in Consilio Generali tot delegationes, quot foederationes (etiam nationales) in eadem exsistant, sed unicam delegationem, quae repraesentat omnes illius nationis foederationes. Compositio autem delegationum, non ad Foederationem Mundialem, sed ad ipsas nationes pertinet. Tantum si difficultates orientur graves, Consilium Executivum aget, supposita semper libera petitione nationis quae difficultate prematur.

Art. 11. Director Foederationis Mundialis a Summo Pontifice nominatur, qui est Director Supremus omnium Congregationum Marianarum. Placuit Summo Pontifici ut, habita ratione originis earum, Vicedirector esset Praeses Secretariatus Centralis, non solum quia Romae sedem habet, sed etiam quia eius curae ad omnes Congregationes Marianas, sive in ecclesiis Societatis Iesu sive extra eas constitutas, se extendunt.

Ex quo Statuta approbationem Sanctae Sedis nacta sunt, Foederatio Mundialis iam exsistit, ut videtur. Cum vero nondum Director a Summo Pontifice nominatus sit, neque membra Consilii Exsecutivi electa sint (quod fiet in primo Foederationis Mundialis Congressu), Praeses Secretariatus Centralis, munere Vice-Directoris fungens, vices geret Consilii Exsecutivi.

Art. 12. Hic agendi modus non differt a consueto agendi modo in conventibus Congregationis, nisi in eo, quod in conventibus Congregationis unus tantummodo Director, in Consilio autem Generali multi Directores adsunt; qui proinde, postquam Sodalium sententias libere prolatas audierint, seorsum eas agitare debent, ut ad definitivam conclusionem perveniant.

* * *

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO S. OFFICII

I

AD NOVAM DISCIPLINAM CIRCA IEIUNIUM EUCHARISTICUM COMMENTARIUM

(Cfr. *Monitor Ecclesiasticus*, vol. LXXVIII (1953) pag. 44 e sgg.)

1. Conctitutio Apostolica « Christus Dominus » ac Instructio supremae sacrae Congregationis S. Officii de nova disciplina circa ieiunium eucharisticum, eodem recurrente die editae, nempe die VI m. januarii a. 1953, promulgatae sunt, de mandato Summi Pontificis, per editionem in *Acta Apostolicae Sedis*, pressius vero in fasciculo cui dies XVI m. januarii appositus est quique primus exstitit hoc decurrente anno. Qua quidem editione vim exseruerunt suam. Cum enim Legislator aliud explicite statuisset (cfr. Const. *in fine*), « vacatio legis » quae in can. 9 C.J.C. statuitur regulariter esse trium mensium pro ecclesiasticis legibus a S. Sede latis, nulla omnino fuit pro nova disciplina circa ieiunium eucharisticum. Quod obtinuisse putamus tum quia nova lex, utpote quae sit *favorabilis*, onera limitationesque nemini infert, tum quia, nova disciplina, qua multae dispensationes et facultates conceduntur, vim suam exserente, inane prorsus fuisset dispensationes facultatesque novas adhuc concedere aut concessas prorogare.

At quaereret quis fortasse de ratione qua Instructio de novis normis in praxim deducendis promulgata fuerit a Congregatione S. Officii potius quam ab aliis dicasteriis Romanae Curiae, ut puta a S. Congr. de disciplina Sacramentorum, quae competens dignoscitur ad fideles a ieiunio eucharistico dispensandos (c. 249, § 1). Cui quaestioni facilis erit responsio. Congr. S. Officii enim « una competens est circa ea omnia quae ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt » (c. 247, § 5), ideoque etiam circa Missas vespertinas. Conveniens ergo fuit Congregationem S. Officii, quippe cui pars praecipua moderanda spectat, moderaturam etiam, de ipsius Summi Pontificis mandato, totam exscutionem Constitutionis; quod quidem Instructione perfecit, cuius sibi reservata est interpretatio authentica. Attamen Congr. S. Officii minime facta est competens circa alias materias, circa quas competentes exstant aliae Congregationes, ita ut ad S. Congr. de disciplina Sacramentorum vel Sacrorum Rituum vel de Religiosis peten-

dae sint, iuxta diversos casus, dispensationes aut decisiones quae circa rem versarentur extra Constitutionem aut Instructionem S. Officii vagantem.

2. Quo melius autem intelligatur valor novae disciplinae circa ieiunium eucharisticum, opportunum fuisse duximus hoc ordine breviter procedere:

a) aliqua historico-iuridica adnotabimus;

b) causas vero reformationis indicabimus;

c) dabimus autem novae disciplinae summa principia;

d) unamquamque normam tandem explicabimus et casibus practicis, forte occurrentibus, applicabimus.

I. - Notae Historicae.

3. In Constitutione Summus Pontifex, sua qua pollet auctoritate, confirmat legem ieiunii eucharistici non ex iure divino repetendam esse, sed ex iure *ecclesiastico*: «... ab antiquissima aetate consuetudo invaluit Eucharistiam christifidelibus ieiunis administrandi ».

Nullum proinde dubium esse potest, quin Papa possit ab ea lege dispensare, sicut revera multoties praeterito tempore dispensavit, quamvis antiquorum canonistarum aliqui, ut e. g. De Lugo, docuissent quod « de facto neque ipse Papa dispensare solet [1].

4. De antiquissima vero hac consuetudine, quae certo ex reverentia tali ac tanto Sacramento debita originem duxit quaeque paulatim severissima lex universalis in tota Ecclesia facta est, more suo Angelicus Doctor scribit: «... *propter prohibitionem Ecclesiae*... impeditur aliquis a sumptione huius sacramenti post cibum et potum assumptum », et paulo post explicat ieiunium eucharisticum esse « ieiunium *naturae*, quod importat privationem cuiuscumque praeassumpti per modum cibi vel potus... Et ideo neque post assumptionem aquae, vel alterius cibi vel potus, vel etiam medicinae, in quantumcumque parva quantitate, licet hoc sacramentum accipere. Non refert utrum aliquid huiusmodi nutriat vel non nutriat, aut per se aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi vel potus [2] ».

Ita singularis autem visa est opinio Joannis Parisiensis, O. P., qui, paulo post S. Thomam, docuerat medicinas aut cibum sumptum

[1] Cfr. A. Villien, *La dispense du jeûne eucharistique entre le XIIIe siècle et le XXe en faveur des Fidèles et du Prêtre célebrant*, in *Acta Congressus Iuridici Internationalis*, vol. IV, Romae 1937, p. 349, in quo quidem articulo multa inveniet qui ampliores historicas notitias circa ieiunium eucharisticum vult sibi acquirere, praeter ea quae in Const. inveniri possunt. Cfr. etiam « Jeiunium eucharisticum » in catholicis encyclopaediis.

[2] P. III, q. 80, a. VIII et ad 4.

per modum medicinae ieiunium non frangere, ut statim delatus fuerit atque vocatus ad Papam suam explicaturus sententiam. Sed, antequam quaestio dirempta fuisset, mortuus est [3].

5. Doctrina, breviter a S. Thoma enuntiata, facta est lex liturgica in rubricis Missalis et ieiunium eucharisticum semper habitum est ut ieiunium naturale a media nocte.

Lex tamen exceptiones continebat (viaticum, periculum profanationis, etc.); immo ab ea servanda dispensabantur, quamvis raro et casibus penitus determinatis, *infirmi*, iuxta Conc. Constantiae [4].

Insuper Benedictus XIV, in epistula « Quadam, de more » die 24 m. martii a. 1756 edita, tres enumerat casus dispensationis Brevi Apostolico concessae ad summos principes infirmos [5].

Paulatim vero dispensationes frequentius concessae sunt, quarum illa generalis memoranda est a S. Congr. Concilii, Decreto « Post editum » diei 7 m. dicembris a. 1906 facta, qua (Pius X) « benigne concessit, ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SS. Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SS. Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint... ».

6. A memorato Decreto norma, paucis in melius mutatis, in favorem infirmorum decumbentium statuta, in canonem 858, §. 2 C. J. C. translata est: « Infirmi tamen qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint ».

7. Post promulgatum vero Codicem, a S. Sede dispensationes facile concessae sunt infirmis et quidem ampliores (ut e. g. sacram communionem *quotidie* sumendi non ieiuni) et frequentiores. Immo nomine infirmorum coepti sunt haberi qui annum sexagesimum compleverant necnon mulieres vel gravidae lactantes, quibus similes concessae sunt dispensationes [6].

Denique postremo bello cappellani militares, parochi et cappel-

[3] Cfr. VILLIEN, op. cit. p. 348.

[4] Cuius textus in Const. citatur.

[5] Cfr. VILLIEN, op. cit. pp. 349-352.

[6] Cfr. concessio facta Episcopo Berol. a S. Congr. pro disciplina Sacramentorum die 15 m. decembris a. 1936.

lani hospitalium in Belgio, etc., amplis ditati sunt facultatibus infirmos dispensandi [7].

8. Quin etiam christifidelibus *non infirmis*, eodem perdurante bello, *varias ob causas*, diversae (iuxta personarum, locorum et circumstantiarum adiuncta) concessae sunt dispensationes (in Italia, Germania, Gallia, Belgio etc., quarum, bello composito, aliae quidem abrogatae fuerunt, aliae vero confirmat ea, aliae denique extensae [8].

9. Ad *dispensationes* autem *sacerdotibus celebrantibus* concessas quod attinet, certum est, *antiquo* vigente *iure*, perraro concessas fuisse. Benedictus XIV siquidem, in ea, quam nuper citavimus, Epistula dispensationem, a Pio IV sacerdotibus in India lusitana celebrantibus concessam, unam refert: « Illis qui propter aëris intemperiem aut proprias infirmitates remediis huiusmodi (id est comestibilibus aut potabilibus) post mediam noctem uti contingerit, si urgentissima fuerit celebrandi necessitas et paululum interdormierint, nihilominus Missam die sequenti celebrare libere et licite... » [9]. Amplissima, procul dubio, concessio, quae tamen aliis sacerdotibus a S. Sede fere numquam facta est eadem, nec facile similis, ita ut recte S. Congregatio S. Officii affirmare potuerit: « Diligentissima cura legem ecclesiasticam ieiunii eucharistici, praesertim quod attinet ad sacerdotes sacrosanctum Missae sacrificium celebraturos, Sancta Apostolica Sedes semper tuita est » (cfr. Epist. S. Officii *infra* cit.).

10. Attamen minores dispensationes sacerdotibus Missam celebrantibus fuisse revera concessas, tum ante tum post promulgatum Codicem, certum est, secreto tamen ne offendiculo piis essent fidelibus neve sine necessitate multiplicarentur. Maxima ergo prudentia ductus est Legislator in can. 247, §. 5 concinnando, ex quo quidem dispensationes a S. Sede concedi intelligere sinit, at sub quodam velamine consulto tectis: maluit enim Congregationem competen-

---

[7] S. Congr. Consist., die 8 m. dec. 1939; *Documentation catholique*, 29 (1947), p. 409. Cfr. F. Oppenheim, O. S. B., *Informazioni liturgiche, Nuove disposizioni della Santa Sede circa il digiuno eucharistico e l'orario delle Messe festive e domenicali*, in *Tabor* a. II (1948), vol. IV, pp. 371 et 372; ex quo articulo notitias desumpsimus dispensationum et facultatum a S. Sede perdurante bello et post ipsum concessarum.

[8] Litterae circulares Secretariae Status S. S., 25 m. maii a. 1943; S. Cong. de Sacramentis, Extensio Indulti diei 31 ian. 1941, n. 82/41; Id. 12 aug. 1942; *Maison-Dieu*, 13, p. 84 ss. Cfr. Oppenheim, op. cit. *passim*.

[9] Villien, op. cit. pp. 354-355.

tem ad dispensationes concedendas indicare, quam de dispensatione ipsa aliquid decernere: « Ipsa (Congr. S. Officii) competens est *circa omnia* quae ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt ».

11. Re quidem vera, post promulgatum Codicem, tum ob suorum deminutum numerum, tum ob debilitatas, causa belli, corporis vires, tot dispensationes petierunt sacerdotes, ut S. Congr. S. Officii opportunum duxerit Epistulam summi momenti ad locorum Ordinarios die 22 m. martii a. 1923 mittere (A. A. S. XV, 1923, pp. 151-152), in qua totam materiam quodammodo ordinavit, quae, paucis mutatis, in recentissimam translata est disciplinam. Rationibus praemissis quae canonis 806, §. 2 relaxationem suadebant ac quodammodo urgebant, ut erant infirma valetudo, hora tardior, labor ministerii et locus dissitus, Epistula, nuper citata, rem hoc modo ordinavit: « Quoties igitur sacerdotes, iuxta can. 806, §. 2, Missam eodem die iterare aut tardiore hora ad Sacrum Altare accedere necesse habeant; siquidem sine gravi incommodo ieiunii eucharistici legem... ad rigorem servare nequeant;... huic Congregationi locorum Ordinarii... recurrere poterunt. Quae pro diversitate casuum... opportune providebit... pro casibus urgentioribus, in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, iam ex nunc Amplitudini tuae (facultates habituales) conceduntur, per Te ipsum, graviter onerata conscientia, exercendae; hisce tamen sub conditionibus, ut nonnisi aliquid per modum potus, exclusis inebriantibus, sumere permittatur (sacerdotibus dispensatis), efficaciter scandalum removeatur... Gravissimae demum huius legis relaxationem solum concedendam esse scias, quum spirituale fidelium bonum id exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem ».

12. Ad dubium vero, paulo post exortum: « An Sacerdotes dispensati a ieiunio eucharistico ante secundam Missam, sumere possint ablutionem in prima », S. Congr. S. Officii die 2 m. maii a .1923 *affirmative* respondit, quin tamen optatam claritatem afferret omnino. Si enim sacerdotes, dispensati a ieniunio eucharistico, permissi intelligebantur ante secundam Misam ablutiones sumendi cum sola aqua, ad concordandam relatam responsionem cum illis verbis « exclusis inebriantibus » citata Epistulae, tunc Congr. S. Officii rubricas Missalis incompetenter mutasse putanda erat; si vero rubricas immutatas remansisse censendum erat, tunc sacerdotes permissi videbantur sumendi ablutiones etiam cum vino: cui postremae interpretationi verba « exclusis inebriantibus » obstabant, quae nullam videbantur pati exceptionem. Quae cum ita fuissent, res

(quae nunc clare solvitur in Const., n. IV, et in Instr., n. 7-8) tunc temporis ita soluta intelligebatur, ut permissa habita fuerit *unica* ablutio cum sola aqua, quae a sacerdotibus secundam Missam celebrantibus fieri solet.

13. Inter multiplices concessiones, quae a S. Congr. S. Officii postremo tempore factae sunt, aliquid novi prae se ferebat concessio Missas vespertinas celebrandi. Belgarum siquidem Episcopi facultate donati sunt permittendi propriis presbyteris Missas vespertinas diebus dominicis vel de praecepto celebrandi, dummodo hi ieiuni fuissent a quattuor quidem horis ab omni solido cibo, ab una vero a potu, exclusis inebriantibus [10]. Similibus, immo maioribus facultatibus Gallorum Episcopi sunt dotati [11]. Omnes vero concessiones ad tempus determinatum factae erant et ad experimentum. Quod quidem optimum felicissimumque habuit exitum, cum christifideles ad Missas vespertinas magno accedebant concursu, tum praecepto Missae sacrificio assistendi, diebus dominicis vel aliis praescriptis, satisfaciendi causa, tum Eucharistico pabulo sese nutriendi gratia. Et ita S. Sedes tempus advenisse sibi persuasum habuit totam materiam de ieiunio eucharistico ac de Missis vespertinis modo definitivo ordinare novasque normas ad totam extendere Ecclesiam.

II. - Causae Reformationis.

14. *Generalis* quidem causa his verbis a Const. Apostolica indicatur: « ... novae temporum rerumque condiciones *suadent* ut non paucas facultates ac venias hac in re concedamus ». Notum est enim « ea quibus vivimus tempora eorumque peculiares condiciones multa in societatis usum in communisque vitae actionem induxisse, ex quibus graves difficultates oriantur, quae possint homines a divinis participandis mysteriis abstrahere, si Eucharistici ieiunii legi eo prorsus modo ab omnibus obtemperandum sit, quo ad praesens usque tempus obtemperandum erat ».

15. Quaenam autem fuerint *in specie* praedicate condiciones, seu *causae*, quibus motus est supremus Legislator in reformanda disciplina circa ieiunium eucharisticum, facile erit ab ipsa eruere Constitutione. Quas nos, claritatis gratia, in tres ordines posse dividi putamus, positivas nempe, negativas et iuridicas.

---

[10] S. Congr. S. Officii, 28 ian. 1947; cfr. *Collationes Brugenses*, 43 (1947), p. 143; Oppenheim, op. cit. p. 372.

[11] Ex Secretaria Status S. S., die 22 nov. 1946, n. 8536/46; cfr. S. Congr. de Sacramentis, 22 apr. 1924, A. A. S. XVII (1925), p. 146; *Maison-Dieu*, 13, p. 44 ss.; Oppenheim, op. cit. p. 374.

Positivae vero duae fuerunt:

a) *Pietas*, quae in dies increbescit, *erga SS. Eucharistiam.*

« Pietatem cernimus erga Augustum altaris Sacramentum cotidie magis increbescere non modo in christifidelium animis, sed ad divini cultus etiam splendorem quod pertinet ». Revera, a tempore praesertim B. Pii X, christifideles « ad sacram Synaxim frequentiores usque accessere ». Ut autem « haec coelestis panis fames », quae « utinam in omnibus... hominibus... exardescat », expleatur omnino, necesse erat omnes de medio tollere difficultes, quae impediebant quominus christifideles ad sacrum accessissent convivium.

b) *Religiosae celebrationes et coetus de re sociali.*

« Saepe hodie *contingit* ut frequentissimae populi multitudines ex alio ad alium locum postmeridianis horis ea de causa transgrediantur, ut religiosas celebrationes, vel coetus de re sociali habendos participent; si igitur hisce etiam datis occasionibus liceat Eucharisticum peragere Mysterium... haud dubium est inde vim hauriri posse, qua omnes ad christiane penitus sentiendum operandumque excitentur, et ad legitimis etiam obtemperandum legibus ».

16. *Negativae* vero tres causae in Const. indicantur:

a) *Cleri condiciones.*

« ... patet omnibus clerum hodie ingravescentibus christianorum necessitatibus numero imparem esse ». Ex quo illud consequitur aperte, quod clerus « festis praesertim diebus nimium saepe laborem tolerare debet, cum serius Eucharisticum Sacrificium ac non raro etiam bis vel ter celebrare debeat, cumque interdum officio quoque teneatur longinquum faciendi iter... Enervantes eiusmodi apostolici labores sacerdotum valetudinem procul dubio debilitant; idque eo vel magis quod non modo Missae litandae cum Evangelii explicatione », sed etiam « sacris Confessionibus audiendis, catechesi impertiendae... vacare debent... ». Difficiliores, ut patet, condiciones missionariorum inveniuntur.

b) *Condiciones quorundam coetuum christifidelium.*

In rerum adiunctis specialibus multi coetus christifidelium hodiernis temporibus inveniuntur: multi quidem christifideles, qui terras *missionum* incolunt, « cum proprium apud se non habeant administrum », nonnisi horis vespertinis alium sacerdotem Missam celebraturum habere possunt; *opifices* etiam non pauci, qui, « vel officinis, vel vehicularibus maritimisque muneribus, vel aliis publicae utilitatis officiis addicti, non modo per diem sed per noctem etiam alternis iteratisque laboris vicibus occupantur »; *matres* quo-

que *familias*, quae ad eucharisticam Mensam accedere nequeunt « antequam domesticis curis prosperint, quae multas saepe ab eis postulant laboris horas »; *pueri et puellae* denique litterarum studio operam dantes, quibus perdifficile interdum est « antequam ad scholas se conferant, sacras adire aedes ibique sese Angelico enutrire Pane, postea vero domum redire ut necessarium suscipiant nutrimentum ».

Hi coetus christifidelium non taxative, sed tantum instar ad exempli in Const. Apost. enumerantur, praeter quos et alii invenire licebit, qui similibus versantur in adiunctis.

c) *Generales condiciones salutis.*

« Praesentis vitae condicionis atque ea, quae ex immanibus huius saeculi bellis consecuta sunt incommoda, eiusmodi sunt, ut non parum corporum constitutionem valetudinemque debilitaverint ».

17. *Necessitas uniformis disciplinae*, tandem, alia causa fuit factae reformationis, quam quidem causam *iuridicam* appellare licet. Multae enim concessae fuerant facultates, quae tamen minime uniformes inveniebantur Ex quo necessarium fuisse eruebatur, totam disciplinam **uniformiter ordinare, ne** « indultorum diversitas in actionum discrepantiam *cessisset* », ordinatam vero ad totam extendere Ecclesiam, ne alii christifiedeles quodammodo privilegiati fierent, alii vero non.

Nec silentio praetereundum est Legislatorem, totam ex novo ordinando materiam iuridicis normis generalibus, alium finem consequi voluisse, qui, quamvis in Const. non declaretur explicite, in ea — ut ita dicamus — latet aperte: finem scilicet *determinandi et intra certum ambitum limitandi auctoritative relaxationem legis circa ieiunium eucharisticum*, et evitandi, consequenter, excessivam relaxationem, quae timenda erat ex iterata renovatione ac fere inevitabili dilatione dispensationum et indultorum Episcopis, ad eorum petitiones (quae in dies crebiores impensioresque fiebant), concessorum. Lex enim universalis atque uniformis pro tota Ecclesia efficacius evitat laxismum eiusque latenti periculo melius obstat, quam indultorum series, cum indulta ad tempus determinatum concedantur cumque alia aliis ampliora desiderentur quotiescumque renovari poscantur, ac si certamen esset inter dioeceses condiciones meliores obtinendi.

18. Certum est autem quas memoravimus « novas, graves, non intermissas ac satis generales causas » impedivisse tum sacerdotes

ab eucharisticum Sacrificium celebrando, tum christifideles ab Angelico Pane sese nutriendo. Quibus incommodis ac difficultatibus ut occurreret Legislator, necessarium duxit « Eucharistici ieiunii disciplinam ita mitigando statuere, ut, quam largissime fieri potest, in peculiaribus etiam temporum locorum ac christifidelium condicionibus, eiusmodi legi omnes obtemperare facilius quaeant ». Insuper novas normas promulgando, Legislator fore confidit « ut haud parum conferre possimus ad Eucharisticae pietatis incrementum, atque adeo aptius permovere atque excitare omnes ad Angelorum participandam Mensam ».

Apostolicus finis amico componitur foedere cum sapientis Legislatoris sollicitudine, qui opportune legem temperat, quae iam observatu difficilis evaserat aut saltem bono obstans communi.

III. - Novae disciplinae summa principia.

19. **Omnes, qui « in peculiaribus condicionibus non versantur » quae in Const. exponuntur, observare tenentur legem ieiunii eucharistici a media nocte** (Const. n. 1). Proinde :

a) Cann. 808 et 858, § 1 adhuc vigere pergent: « Sacerdoti celebrare ne liceat, nisi ieiunio naturali a media nocte servato », « Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti... ». Hoc tantum mutatum est, ut aqua amplius eucharisticum ieiunium non frangat, ut statim dicemus.

Item vigere pergent exceptiones ad regulam generalem canonis 858, § 1, i. e. adiuncta seu casus in quibus cessat pro christifidelibus obligatio ieiunii eucharistici observandi (« nisi mortis urgeat periculum, aut necessitas impediendi irriverentiam in sacramentum ») necnon adiuncta in quibus, iuxta doctrinam a moralistis et canonistis traditam, cessat obligatio pro sacerdotibus. Canonis 858, § 2 praescriptum vero vim suam amisisse videtur, cum dispensatio quae ab eo conceditur aegrotis « qui iam a mense decumbunt », absorpta censenda sit a concessionibus amplioribus quae a Constitutione factae sunt.

b) Principium, quod nuper memoravimus, ita videtur esse intelligendum, ut christifidelis dispensationibus, quae in Const. conceduntur, *licite* uti nequeat, nisi a) *in peculiaribus condicionibus in ea praevisis versetur*, **et simul** b) *in iisdem condicionibus grave incommodum revera ferret in lege ieiunii observanda.* Explicite enim declarat Summus Pontifex Se « velle ....summam huius legis consuetudinisque vim confirmare ad eucharisticum quod attinet ieiunium; ac velle etiam eos admonere, qui eidem legi ob-

temperare quaeant, ut id facere pergant diligenter, ita quidem ut ii solummodo, qui in necessitate versentur, hisce concessionibus frui possint secundum eiusdem necessitatis rationes ».

Ex quo deducitur, ut aliquod exemplum affermus, christifidelem, qui hora tardiore ad sacram Synaxim accedit, tunc tantum aliquid per modum potus ad unam horam usque ante Communionem, licite posse sumere, cum ieiunum manere ad tardiorem horam esset ei revera grave incommodum, et ipse, abbsque gravi incommodo, non posset communionem antea sumere [12].

Item, sacerdos vel christifideles qui longum iter peragit ut ad ecclesiam perveniat Missam celebraturus vel sacram Communionem sumpturus, dispensatione licite uti nequit, nisi ei iter peractum sit revera grave incommodum pro lege ieiunii observanda.

c) Qui vel ex iure communi, ut in nocte Nativitatis Domini, aut ex privilegio aut indulto, Missas celebrant media nocte vel primo matutino tempore (item qui eodem tempore sacram sumunt Communionem) non tenentur observare ieiunium trium horarum a cibis solidis, neque unius a potu, sicut in Const. statuitur pro Missis vespertinis. Constitutio enim de Missis media nocte vel primo matutino tempore celebrandis non agit; standum est ergo, ad ieiunium eucharisticum quod attinet, normis rescripti vel principio generali in Codice I. C. statuto de ieiunio a media nocte [13].

20. **Aqua naturalis eucharisticum ieiunium non frangit** (Const. **n. 1).**

a) Non agitur de dispensatione illis concessa qui in peculiaribus adiunctis vel necessitatibus versantur, sed de mutata essentia ipsius eucharistici ieiunii, quatenus ieiunium eucharisticum iam amplius non coincidit cum ieiunio naturali ita ut quicumque aquam bibat, consulto vel neglegenter, necessitate ductus vel absque ulla necessitate, ieiunus intelligatur manere, ad dispositiones corporis quod attinet quae necessariae sunt ad Missam celebrandam vel sanctam Communionem sumendam.

---

[12] Cfr. etiam P. Fanfani, O. P., *Alcuni dubbi intorno alla Costituzione « Christus Dominus » (Digiuno Eucaristico)*, in « Palestra del Clero », fasc. 15 febbraio 1953, p. 47 c). Quod P. Fanfani ibidem recte docet de casu sacerdotis celebrantis vel christifidelis tardiore hora communicantis, nobis est applicatio generalis principii, dispensationibus scil. uti non licet nisi ei qui absque gravi incommodo (subiectivo), ex causis a lege praevisis profluente, legem ieiunii eucharistici a media nocte observare nequat, ita ut illicitum esset in illis conditionibus sese collocare *ad hunc finem tantum*, ut quis dispensationibus uteretur.

[13] Cfr. etiam A. Mancini S. d. B., *Sulle nuove norme per il digiuno eucaristico*, in « Palestra del Clero », fasc. 1° febbr. 1953, p. 109.

b) Illud tamen advertendum est, non quamlibet aquam, sed tantum aquam *naturalem*, i. e. « sine cuiuslibet elementari adiectione » (Instr., Proëm.), eucharisticum ieiunium non frangere.

Est autem aqua naturalis quae ex fonte profluit, item aqua fluminis vel pluvia [14], seu, ut paucis dicamus, quae a *natura* ipsa producitur, non quae artificio.

Aquae insuper *nihil omnino* hominis industria admiscendum est ita ut, si quid vel minima quantitate, ut puta gutta mali citrei, admisceretur, aqua amplius naturalis non esset censenda et eucharisticum frangeret ieiunium.

c) Aliud tamen tenendum est si admixta elementa in aqua invenirentur non hominis industria, sed *natura* ipsa, ut in aquis mineralibus (italice: *acque minerali*, *termali*, *solforose*, *salse*) contingit, dummodo bibantur ut a natura praebentur, quin scil. eis aliud elementum artificio admixtum fuerit aut elementa, quae iam in eis continentur, artificio aucta fuerint [15].

d) In magnis praesertim civitatibus, civium valetudinis curandae aut morborum praecavendorum causa, aquae civibus distribuendae aliquid a publica auctoritate admisci solet ad instar medicinae, ut puta ozonium, chlorium, etc. Quam quidem aquam eucharisticum ieiunium non frangere aliqui recte docent Auctores, hac innixi ratione, quod Ecclesia leges a Se latas velit obvio sensu esse intelligendas et iuxta mores christifidelium pro quibus promulgantur. Aqua autem, quae civibus distribuitur, aqua naturalis ab omnibus aestimatur [16]. Praeterea, cum ista aqua sit sola quae nostris temporibus, saltem in maioribus civitatibus, civibus toto vertente anno vel saltem longo eius statuto spatio distribuatur, si ieiunium frangeret eucharisticum, maiori christifidelium parti *impossibilis* evaderet concessio, cum legis ieiunii relaxatio nullum pro ipsis haberet practicum momentum et sic finis a Legislatore intentus frustraretur. Iuridicae autem hermeneuticae artis principium est,

---

[14] A. Bride, *Jeûne eucharistique*, *Discipline nouvelle*, in « L'Ami du Clergé », Mars 1953, p. 202, idem sentit de aqua maris, de nive et glacie liquefactis, de aqua elixa (italice: *bollita*) vel artificio destillata, necnon de rore.

[15] Idem docet P. Fanfani, op. cit. p. 148 f) « . . . Per il solo fatto che un' acqua minerale contiene alcuni elementi di specie diversa dagli elementi dell'acqua usuale, non cessa per questo di essere acqua, capace di essere bevuta, di estinguere la sete, ecc.; ed in quanto sgorga da una fontana o sorgente è anche acqua naturale; dunque non rompe il digiuno . . . ».

[16] Cfr. Fanfani, op. cit. p. 148 f); Bride, op. cit. p. 203; F. Hürth, S. J., *Constitutio Apostolica de disciplina servanda quoad ieiunium eucharisticum*' in « Periodica », fasc. I (1953) p. 57), n. 7.

non ita esse legem interpretandam, ut impossibilis evadat omnibus aut saltem maiori parti subditorum [17].

e) Nix et glacies frangunt ieiunium, quia, quamvis re nihil aliud sint quam aqua, aqua tamen iuxta communem hominum aestimationem non sunt (a nemine siquidem nix et glacies aqua appellantur, immo aqua fieri dicuntur). Aqua autem (naturalis), quam nova lex statuit ieiunium eucharisticum non frangere iuxta communem hominum aestimationem intelligenda est. Praeterea, si nix et glacies ieiunium non frangere dicerentur, interpretatio *extensiva* fieret novi legis principii: quae tamen interpretatio admitti nequit tum quia novum principium normis hucusque vigentibus derogat et ideo intelligendum est quin extendatur, tum quia explicite prohibetur in Instr. (n. 19): « Constitutionis atque huius Instructionis interpretatio textui fideliter adhaereat, neque ullo modo facultates tam favorabiles amplificet » [18].

f) Ex omnibus quae hactenus praediximus aperte colligitur aquam naturalem quae a quocumque bibatur et quocumque anni tempore vel momento, etiam immediate ante Communionem, imo vel in ipso actu Communionis (si scil. sacrae Species non possent sumi nisi cum aqua), quin licentia alicui petatur, ieiunium eucharisticum non frangere. Quod igitur ita definiri potest, *ieiunium eucharisticum est abstinentia a qualibet medicina, cibo et potu, aqua excepta naturali, a media nocte observanda a sacerdotibus Missam celebraturis et a christifidelibus sacram Communionem sumpturis.*

21. Dispensationes a ieiunio ab ipsa lege immediate conceduntur.

a) Omnes, tum sacerdotes tum christifideles, qui ob infirmam valetudinem vel aliud grave incommodum a Const. probatum, legi ieiunii eucharistici a media nocte obtemperare nequeunt, *ab obligatione legem ieiunii observandi a lege ipsa, seu ab ipso Legislatore, dispensantur*, qui scil. teneantur dispensationem petere a sacris Congregationibus Romanae Curiae aut a suo Ordinario aut a confessario. Etiam cum christifideles praescripto Constitutionis tenentur confessarium audire, confessarius non dispensat, sed tantum suum dat *prudens consilium*, quo probatur petentem in adiunctis seu condicionibus a Legislatore praevisis inveniri et habere exinde ius dispensatione fruendi.

---

[17] Ut patet, ea quae supra (d) diximus, non valent si admixtio fieret, non ab auctoritate publica, sed a persona *privata*, cui tamen licet aquam percolare (it.: *filtrare*).

[18] Idem sentire videtur Bride, op. cit., p. 202: (nomine aquae veniunt etiam) « la neige et la glace *fondues* ».

b) Praeterea ab ipsa lege statuitur quid sumi possit per modum potus aut medicinae, etc. quamdiu ante Communionem vel S. Missam id fieri liceat, etc. Ordinarius proinde aut confessarius nequeunt diversas statuere normas, nequeunt, e. g. permittere ut potus sumatur qui a lege prohibetur, aut ieiunii absoluti tempus ultra extendere vel intra coarctare quam a lege statuitur, aut legem applicare casibus ab ipsa, iuxta regulas interpretationis, non admissis, etc.

22. Christifideles dispensationibus frui possunt tantum de prudenti confessarii consilio.

a) Hoc autem consilium christifidelibus a confessario petendum est et quidem *ante Communionem* [19], quae a non ieiunis extra Missas vespertinas [20] sumeretur.

b) Nomine *confessarii* certo venit sacerdos qui sacramentalem confessionem christifideles recipit; quin immo intentio fuisse Legislatoris videtur ut consilium a christifidelibus, qui dispensationibus frui desiderant, *proprio confessario habituali poscatur*, quippe qui melius quam alius condiciones « quibus quis dispensatione a lege ieiunii frui possit » (Instr., n. 2), perpendere possit. Confessarius tamen suum potest dare consilium etiam extra sacramentalem confessionem, dummodo in foro interno (Instr. nn. 2 et 11) [21]. Ex quo patet petitum consilium dari posse a *quocumque sacerdote ad sacramentales confessiones audiendas approbato* in territorio in quo consilium petitur, seu a quocumque sacerdote qui hic et nunc iurisdictione gaudet sacramentalem confessionem recipiendi illius qui petit consilium. Sic, e. g., sacerdos, in sua diocesi ad sacramentales confessiones mulierum approbatus, suum potest dare consilium

---

[19] Quin tamen peti necesse sit antequam medicina aut potus sumatur. Quapropter christifidelis, qui noctu male se habens aliquid per modum potus, vel medicinam sumpserit, potest mane Communionem suscipere de prudenti confessarii consilio. Quod si petendum esset antequam potus aut medicina sumeretur, dispensationes a Const. « Christus Dominus » christifidelibus concessae, saepe saepius in praxim deduci non possent contra Legislatoris mentem. Videsis et P. Hürth, op. cit., p. 61, n. 13.

[20] Ad Communionem a non ieiunis in Missis vespertinis sumendam, non tenentur fideles consilium confessarii exquirere. Est unicus casus exceptus.

[21] Fori interni distinctio in forum sacramentale et non-sacramentale saepe saepius occurrit in iure canonico et quotidie applicatur in praxi ecclesiastica. Habetur vero in can. 196: « Potestas iurisdictionis seu regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia, alia est fori externi, alia fori interni, seu conscientiae, sive sacramentalis sive extrasacramentalis ». Iurisdictio fori interni *sacramentalis* valide exerceri nequit, nisi *in actu sacramentalis confessionis, saltem inchoatae*; iurisdictio vero fori interni *extrasacramentalis* exerceri potest etiam extra sacramentum poenitentiae. Cfr. I. Chelodi - P. Ciprotti, *Ius Canonicum de Personis*, Vicenza-Trento, 1942, p. 203-204, n. 125 a); Fanfani, op. cit., p. 146 a).

religiosae alicui illud, ad conscientiae suae tranquillitatem, extra sacramentalem confessionem, petenti. Is enim sacerdos, ad normam can. 522, valide et licite potest sacramentalem confessionem istius religiosae recipere.

Est igitur confessarius, iuxta novam disciplinam, *quilibet sacerdos qui valide et licite recipere possit sacramentalem confessionem* poenitentis ipsum adeuntis consilium petituri, etiamsi, hic apud eum sacramentalem confessionem non instituat nec unquam instituerit.

c) Confessarius suum nequit dare consilium epistula, telephonio aut aliarum personarum auxilio. Contrarium quidem docet P. Fanfani, hac ductus ratione, quod iurisdictio fori interni extrasacramentalis inter absentes exerceri possit: idem autem dicendum esse videtur de consilio a confessario dando ut quis frui possit dispensatione a lege ieiunii, et quidem *a fortiori*, cum de actu iurisdictionis proprie non agatur (dispensatio enim ab ipsa lege conceditur, non a confessario), sed de notificatione *consilii* circa opportunitatem tum dispensationis concedendae tum condicionum seu causarum, quibus dispensatio subiacet. Significatio autem consilii non est actus iurisdictionis, et ideo circumstantiis personarum, quibus datur, aut loci in quo datur, non adstringitur [22].

Hanc autem sententiam non esse admittendam putamus, tum quia adducta ratio nobis firma non videtur, tum quia practicae consequentiae, quae inde orirentur, periculosae et novae disciplinae spiritui essent contrariae. Re quidem vera, quamvis iurisdictio fori interni non sacramentalis exerceri possit inter absentes, admitti nequit eam *semper* inter absentes posse exerceri. *Per se* enim iurisdictio fori interni occulte exercetur, in foro conscientiae et, ut in plu-

---

[22] Fanfani, op. cit., p. 146-147 b): « Se è vero che la giurisdizione di foro interno, ma non sacramentale, può essere esercitata anche *inter absentes*... con molta maggior ragione crediamo si possa dire lo stesso del *consilium* richiesto per l'uso della dispensa dal digiuno eucharistico; tanto più che trattasi in questo caso non di un atto di giurisdizione vera e propria, ma di un *consiglio*. Al *Confessarius* di cui parla la Costituzione, non è data la facoltà di dispensare dal digiuno eucaristico; solamente egli è autorizzato a esprimere ufficialmente il giudizio sulla opportunità o meno dell'uso della dispensa e dei motivi a cui questa dispensa, data dalla stessa Costituzione, è legata. Or bene, esprimere un giudizio, per quanto autorevole, dare un consiglio, non è atto di giurisdizione; non è quindi un atto legato, come la giurisdizione, nè al suddito, nè al luogo dove questo consiglio viene espresso... ». Idem sentit Bride, op. cit., p. 203: « ... l'*usage licite* de cette faculté est subordinné à l'*avis favorable* d'un confesseur: avis qui revêt le caractère d'une simple consultation « doctrinale » sans portée jurisdictionell ou administrative... Il n'est pas requis que le confesseur ait jurisdiction dans le lieu où il est consulté ».

ribus, inter praesentes [23]. Praeterea consilium a confessario dandum non videtur esse consilium mere doctrinale, quod dari possit a qualibet privata persona, sed consilium, quod est actus potestatis *a confessario* tantum habitae, qua quidem potestate ipse solus authorizatur, nomine Ecclesiae, consilium dandi. Est igitur consilium datum *ex officio*, poenitentem obligans, dandum proinde ab eo solum qui iurisdictione gaudet seu *ratione muneris*. Actus autem administrativi, etiam in iure canonico, non sunt solum declarationes voluntatis, sed etiam declarationes iudicii, i. e. « pronuntiationes » [24].

Insuper ex admissa aliorum sententia graves orirentur abusus quos locorum Ordinarii compescere non possent; siquidem possent sacerdotes suum dare consilium epistula ad christifidelem in alia dioecesi commorantem, in qua ipse non haberet iurisdictionem; darent sc. consilium quin potestatem illud dandi haberent. Oportet enim ut sacerdotes una simul cum poenitente in eo loco inveniatur in quo iurisdictionem habent, aut saltem ut habeant iurisdictionem hic et nunc in consilium petentem.

Denique, iuxta novae disciplinae spiritum, confessarius tenetur, antequam suum det consilium, perpendere utrum revera christifideles a se consilium petens, in eis condicionibus inveniatur, etiam subiectivi, quae requiruntur ut quis dispensatione frui possit. Quod ut convenienter fiat, fere semper requiritur ut fidelis praesens sit confessario, cum colloquio tota res melius clarescit.

d) Loci Ordinarius suum potest dare consilium *ut confessarius*. Nullam enim specialem potestatem a Const. vel Instr. habet: nequit proinde suum praebere consilium *in foro externo*, nec sacerdotibus non confessariis facultatem concedere illud, etiam in foro interno, dandi, etc. Advigilare tamen debet ut abusus vitentur (Instr., n. 17), ut confessarii uniformiter se gerant (Ib., n. 18), quos et punire potest, si delinquentes aut inoboedientes invenerit, vel ipsa privatione iurisdictionis (can. 880, §§ 1 et 2)

Ordinarii, parochi et omnes qui *ordinaria* iurisdictione potiuntur, cum proprios subditos ubique terrarum absolvere possint (can. 881, § 2), ubique etiam terrarum suum eis possunt dare consilium, dummodo in foro interno et inter praesentes.

e) Etiamsi agatur de coetu fidelium, qui omnes in condicionibus inveniuntur obiectivis dispensatione a lege ieiunii fruendi, e. g. de coetu ad idem Sanctuarium peregrinantium, de coetu scholarum alumnorum qui eidem religiosae functioni, antequam ad

---

[23] Cfr. Chelodi-Ciprotti, op. cit., p. 125 a).

[24] Cfr. M. Castellano, O. P., *De decreto episcopali admnistrativo*, in « Monitor Ecclesiasticus », a. 77 (1952), p. 82-83, n. 12.

scholas se conferant, intersunt, etc., confessario non licet omnes alloqui et consilium suum omnibus « catervatim » dare, sed tantum declarare omnes in condicionibus inveniri obiectivis in quibus, *de prudenti confessarii consilio* ab unoquoque in foro interno exquirendo, dispensatione frui possint sese non ieiunos communicandi. A. v. consilium semper in foro interno dandum est.

f) Consilium confessarii *prudens* sit oportet (Const., nn. 2 et 5), quatenus « condiciones, quibus quis (infirmus) dispensatione a lege ieiunii frui possit... prudenter a confessario perpendendae sunt », seu « prudenter a confessario pensitandae » (cfr. etiam can. 856, § 2: « de prudenti confessarii consilio »). Vult igitur Legislator ut confessarius pro certo habeat adesse condiciones tum *obiectivas* (e. g. quo spatio Ecclesia distet, qua tardiori hora quis ad sacram accedere Communionem possit, etc.), tum *subiectivas*, i. e. utrum christifidelis in illis obiectivis condicionibus inveniatur necessitatem habere dispensationem fruendi seu grave incommodum subiectivum pati in observanda lege ieiunii a media nocte (cfr. *supra*, n. 19).

g) Confessarii consilium *necessarium est* ut quis *licite* dispensatione frui possit: « neque absque eiusdem (confessarii) consilio fideles non ieiuni sanctissimam Eucharistiam recipere possunt » (Instr., n. 11), « neque quisquam sine eius consilio uti potest » dispensatione (Instr., n. 2).

Obligatio consilium a confessario petendi est certo gravis, ita ut qui eo non petito etiam absque contemptu sed per culpabilem negligentiam, suo marte agit, graviter peccaret. Il clare eruitur tum ex verbis gravibus quae nuper citavimus, tum ex eo quod, si ita res non se haberet, aditus pateretur abusibus qui paulatim disciplinam eucharistici ieiunii destruerent. *Raro* tantum et *in adiunctis omnino extraordinariis* poenitentes, *qui confessarium adire nequeant*, posset licite mentem confessarii interpretari eidemque sese conformare. Quae quidem exceptio, quamvis rara, admittenda videtur, quia Legislator *consilium*, non *consensus*, vult peti a confessario [25].

Praeter obligationem petendi consilium confessarii, christifidelis aliam habet, standi se consilio obtento: liber tamen est alium confessarium adire consilium petituris, si prior nimis severus vel scrupolosus sibi visus fuerit.

h) Obligatione consilium petendi tenentur etiam omnes clerici et religiosi non sacerdotes (cfr. *infra*, n. 23).

---

[25] Hürth, op. cit., p. 62-63, n. 13, tenet *praesumptam licentiam* admitti non posse ne in casibus quidem in quibus esset impossibile confessarium adire, propter abusus quae inde orirentur.

i) Consilium confessarii peti et dari potest « etiam semel pro semper, perdurantibus eiusdem infirmitatis condicionibus » vel « causa eadem gravis incommodi perdurante » (Instr., nn. 2 et 11). Dari ergo nequit ob infirmitatem vel ex alia causa quae *postea forte* obventura est.

Putamus tandem esse mentem Legislatoris ut fideles, qui longo temporis spatio inveniuntur in condicionibus dispensatione fruendi, petant identidem a confessario consilium, ad hoc ut eius probationi subiciatur quo modo ipsi dispensatione fruantur.

23. **Ad fruendum dispensatione, sacerdotes non indigent confessarii consilio, nec oportet ut spiritualem animarum curam habeant.**

a) Sacerdotes infirmi aut qui in condicionibus gravi incommodi, a lege probatis, versantur, frui possunt dispensatione, quin indigeant confessarii consilio. Censentur enim ita esse prudentes in his rebus, ut per se ipsi recte iudicare possint quid in singulis casibus sit ipsis agendum. Ad instar fidelium, tamen, ad conscientiae suae tranquillitatem, possunt a proprio confessario habituali aut occasionali consilium in foro interno petere, aut etiam, in dubiis, a quocumque sacerdote in foro externo: quo in casu datum consilium esset tantum doctrinale, quo petens non astringeretur.

b) Ut sacerdotes dispensatione fruantur, non amplius requiritur ut habeant curam animarum. Haec quidem conditio necessaria erat ante novam disciplinam, iuxta Epistulam S. C. S. Officii d. 22 m. martii a. 1923 [26], sed nunc abrogata censenda est, cum Constitutio de ea omnino sileat. Sacerdotes proinde, dummodo in condicionibus tum obiectivis tum subiectivis a lege probatis inveniantur, licite, quotiescumque S. Missam celebrant etiam tantum ob privatam ipsorum devotionem, dispensatione frui possunt.

24. **Regulariter potus alcoholici et cibi solidi sub gravi excluduntur; sumi permittuntur tantum in aliquibus adiunctis extraordinariis e lege probatis.**

a) Principium generale in nova disciplina circa ieiunium eucharisticum est: omnes, a lege ieiunii dispensati, potu inebrianti seu alcoholico sub gravi prohibentur, ob irreverentiam quae inde obventura timetur in SS. Eucharistiam. Sacram Congr. S. Officii scimus nullam, a promulgata Constitutione « Christus Dominus », dispen-

---

[26] « ... Gravissimae huius legis relaxationem solum concedendam esse scias, quum spirituale fidelium bonum id exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem ». Epist. cit. (Cfr. *supra*, n. 11).

sationem ab hac lege, quacumque de causa petitam, esse concessuram, ne sacerdotibus quidem.

b) Hoc autem principium ita solemne habetur ut eo teneantur quoque *infirmi*, tum sacerdotes tum fideles; quamvis enim infirmi aliquando permittantur aliquid per modum potus vel verae medicinae sumere, alcoholicis tamen potibus ipsi semper prohibentur.

Docet vero P. Fanfani medicinas liquidas, quae, ut saepe fit, cum alcoholo conficiuntur vel alcoholum certo continent, non prohiberi ita ut possint ab infirmis, eisdem indigentibus, licite sumi, quia — ait — tum Constitutio tum Instructio non distinguunt inter medicinas alcoholicas et non alcoholicas [27].

Haec autem sententia omnino reiicienda est, utpote quae ipsi litterae tum Constitutionis tum Instructionis aperte contradicat: *Constitutionis* quidem, quia: « Infirmi, etiamsi non decumbant, aliquid sumere possunt, de prudenti confessarii consilio, per modum potus, vel *verae medicinae*, *exceptis alcoholicis* » (n. 2); verba autem « exceptis alcoholicis » referri *videntur* tum verbo « potus » tum verbo « medicinae », et revera medicina liquida quae alcoholum continet, quid alcoholici seu potus alcoholicus est; *Instructionis* autem, quia « Fideles infirmi, etiamsi non decumbant, aliquid sumere possunt per modum potus, exceptis alcoholicis, si...; possunt etiam aliquid sumere per modum *medicinae*, *sive liquidum* (*exsclusis alcoholicis*), *sive solidum*, dummodo de vera medicina agatur, a medico praescripta vel uti tali vulgo recepta » (n. 1): in quo quidem textu *non est dubium* quin verba « exsclusis alcoholicis » referenda sint verbo « medicinae », et ideo a concessione facta aliquid sumendi per modum medicinae, exscluditur quaelibet medicina — sive liquida sive solida — quae alcoholum contineret.

Prohibitae vero non sunt medicinae, si quae sint, quae quando sumuntur alcoholum quidem non continent, quamvis fortasse quid alcoholici continebant dum conficiebantur.

c) Alcoholicis omnino prohibetur etiam tum sacerdotes et fideles qui, dum versantur in condicionibus a lege probatis, aliquid per modum potus sumere permittuntur ante Missam vel S. Communionem (Const., nn. 3 et 5; Instr. 4 et 7), tum sacerdotes qui bis vel ter Missam celebrant (« ... possunt in prioribus Missis duas

---

[27] Fanfani, op. cit., p, 147-148 e): « (non sono proibiti) i *medicinali* liquidi fatti, comé spesso avviene, a base di alcool o certamente contenenti alcool... (perchè) la Costituzione ed anche l'Istruzione del S. Uffizio quando parlano di medicinali, non fanno distinzione alcuna quanto agli elementi di cui possono essere composti; basta perciò che sieno medicinali e vadano sotto questo nome, perchè comunque composti rientrino nelle dispense concesse ». Contrariam sententiam docent Bride, op. cit., p. 201 et Hürth, op. cit., p. 60, n. 11.

ablutiones a rubricis Missalis praescriptas sumere, *sed tantum adhibita aqua* »). Sacerdotes vero Missam vespertinam celebrantes et fideles in eadem S. Communionem sumentes, prohibentur potionibus alcoholicis a media nocte; permittuntur tamen « *inter refectionem*, permissam usque ad tres horas ante Missae vel communionis initium, sumere *congrua moderatione* alcoholicas quoque potiones inter mensam suetas (v. gr. vinum, cerevisiam, etc.), *exsclusis quidem liquoribus* ».

d) Principium generale est igitur in nova disciplina omne alcoholicorum genus excludi. Duas tamen exceptione hoc principium habet. Prima quidem exceptio est « si sacerdos, qui bis vel ter Missam celebrare debet, per inadvertentiam vinum quoque in ablutione sumat »: quo in casu « non vetatur quominus secundam et tertiam Missam celebret » (Instr., n. 8). Secunda autem exceptio est quam nuper memoravimus (c. *in fine*).

e) Cum potiones alcoholicae aliquando, licet exceptionaliter, permittantur, *liquores* vero semper prohibeantur, quaerenda est nobis generalis regula, seu generale criterium, distinctionis inter ipsa.

Civiles legislationes tamquam liquores habent potus alcoholicos qui alcoholum continent ultra 21 « *gradus* ». Haec autem regula inepta inveniri certum est, cum reipsa existant et communi aestimatione habeantur tamquam liquores potus qui alcoholum continent « *gradus* », consulto ita confecti ad effugiendas leges fiscales.

Nec admittenda videtur sententia Bride, docentis esse liquores qui ex « distillatione » producuntur, potus vero alcoholicos non liquores qui ex « fermentatione »; nec etiam Hurth, pro quo liquores sunt « *potus alcoholici qualificati* non solum maiore « concentratione » alcoholi necnon variis rebus tamquam condimento iniectis, sed magis notati modo quo procreantur et preparantur, sc. variorum fructuum et frumentorum ustione atque distillatione » [28]). Haec enim duae regulae minime esse practicae inveniuntur.

Mancini regulam sumit ex « communi aestimatione » [29] et haec regula melius adhaeret Instructioni S. Officii: « ... sumere... alcoholicas quoque potiones *inter mensam suetas* (v. gr. vinum, cerevisiam, etc.), exclusis quidem liquoribus » (n. 13).

Ex omnibus quae praediximus patet quid sentiendum sit de illa quaestione, utrum scilicet sacerdoti Missam vespertinam celebra-

---

[28] Bride, op. cit., p. 208, *nota* 10; Hürth, op. cit., p. 78.

[29] Mancini, op. cit., p. 106. Unde quaesito « se il Vermuth o il Marsala del commercio (non quello che si può bere a Marsala e luoghi vicini) siano liquori » ita respondet: « Entrambi vengono presentati come vini, ma è certo che non si usano nei pasti: dunque in realtà sono liquori ».

turo aut fideli in eadem S. Communionem sumpturo liceat pocillum liquoris sumere, quod frigoris causa sumi solet inter mensam in regionibus septentrionalibus. Agitur enim de liquore et liquor huiusmodi semper excludendus est. Regula de liquore non potando exceptionem non admittit, nec parvitatem materiae.

f) Praeter potus alcoholicos, a qualibet concessione excluduntur quoque cibi *solidi*. Omnes enim a lege ieiunii dispensati, etiam *infirmi*, solidis cibis prohibentur (Const., nn. 2, 3, 5; Instr., nn. 1, 4, 9). *Infirmi* tamen sumere permittuntur aliquid, etiam *solidum*, per modum medicinae, « dummodo de vera medicina agatur, a medico praescripta vel uti tali vulgo recepta. Advertendum est, non posse tamquam medicina haberi quodlibet solidum pro nutrimento sumptum » (Instr., n. 1). A Legislatore ipso criterium distinctionis inter medicinam solidam et cibus solidum datum est: cibi solidi qui pro nutrimento sumuntur, medicinae vero solidae quae ut tales vulgo sunt receptae quaeque iuxta communem hominum aestimationem non sumuntur pro nutrimento, licet quandoque et nutrire possint, ut sunt quae « reconstituentia » vocari solent [30]. Portio carnis (italice: *bistecca*), e. gr., est cibus solidus, non medicina solida, quamvis a medico praescripta fuerit.

g) Cum infirmi a lege ieiunii dispensati permittantur aliquid sumere per modum potus, seu *liquidum*, etiam nutriens, « nulla adiecta ante communionem temporis limitatione » (Instr., n. 2), prohibeantur vero vel aliquid sumere per modum cibi solidi, quam maxime nostra interest scire a quo sumenda sit *distinctio* inter cibos solidos et liquidos.

Iuxta Mancini autem liquidum est quidquid bibitur seu potatur, quin mandetur seu manducetur; solidum vero quidquid manducatur, seu quidquid *ordinarie* manducatur, licet aliquando non manducetur, sed bibetur [31]. Haec autem distictio accurata non videtur, quia, e. gr., chocolatum ordinariae manducatur et est solidum, aliquando vero, si scilicet in lacte vel aqua dissolvatur, fit liquidum et sumi potest: sumi autem iuxta a Mancini adductam distinctionem, quia ordinarie manducatur. Insuper permulti exstant cibi flentes seu fluidi, qui nec solidi nec liquidi sunt (e. gr. flos lactis, me-

---

[30] « Il popolo - ait Mancini. op. cit., p. 107 - nel suo buon senso dice che le medicine *si prendono*, ma nè si bevono, nè si mangiano ».

[31] Mancini, op. cit., p. 107: « Liquido è tutto ciò che pur servendo alla nutrizione, viene assorbito bevendolo, e non è soggetto per l'assorbimento alla masticazione. I cibi solidi invece sono quelli che si mangiano, ossia che *ordinariamente* vengono soggetti alla masticazione, anche se in qualche caso non si masticassero ».

rum ovo infusum, lactis elaborata spuma, etc) [32]. quique, ut recte loquamur, nec bibuntur nec manducantur.

Strictius adhaere textui legis putamus, dicentes id quod permittitur esse *liquidum*, sive nutriens sive sitim restringuens sive tantum corroborans, id vero quod prohibetur esse *non-liquidum*, sive solidum sive semisolidum; nomine autem liquidi venire quidquid, iuxta propriam verbi significationem, bibitur seu potatur, aut etiam quodlibet ordinarie solidum in liquido *ita perfecte dilutum, ut bibi seu potari possit.* Tamquam cibi liquidi, proinde, habendi sunt lac, ius, ptisanae (italice: *tisane*), succi e pomo aurancio exspressi (*aranciate*), cafaeum, etc; item, *dummodo perfecte fuerint in liquido* (e. gr. in lacte, i ncafaeo, etc.) *diluta*, faba mexicana (*cacao*), chocolatum, ovum concussum (*uovo battuto, frullato*), etc.; immo etiam furfur (*semolino*) et panis rasus iusculoque dilutus (*pangrattato*) « purchè l'insieme non venga a perdere la natura di cibo liquido » [33].

Tamquam cibi solidi vero, qui sumi prohibentur, habendi sunt, inter alia, sorbitio gelu concreta (*gelato*), bellaria (*caramelle*) et similes cibi, quia, quamvis in ore dissolvantur, non sunt tamen cibi liquidi momento quo in os introducuntur, siquidem nemo dicitur hos cibos bibere aut potare [34]. Consideranda autem est natura cibi momento quo cibus in os introducitur: hoc tantum criterio, seu hac regula, utendum est nobis utpote quod sit clarius, ne risum, secus, moveamus.

h) Praeceptum a cibo solido et potu alcoholico abstinendi *grave est*, nec admittit parvitatem materiae [35]. Graviter proinde peccaret sacerdos Missam celebrans, vel fidelis Communionem suscipiens, si cibo solido et potu alcoholico, per totum tempus a lege praescriptum, ante Missam vel Communionem non abstinuisset.

25. In circumstantiis a lege probatis, abstinentia unius horae a potu (non alcoholico), una aqua excepta, et trium horarum a cibo

---

[32] Italice: *crema, zabaglione, panna montata.*

[33] S. C. S. Officii, die 7 sept. a. 1897, « Acta S. S. » XXX, p. 629-630; Codicis Fontes, IV, n. 1192 (*latine:* dummodo totum quod inde oritur, ne naturam cibi liquidi amittat).

[34] « Saccharum, chocolatum, pastillae, caramellae, etc,, immo sat multi cibi solidi, per diuturnum tempus in ore retenta, emolliuntur, dissolvuntur et una cum saliva tamquam fluidum quid deglutiuntur; nihilominus secundum commune iudicium hae res non dicuntur « bibi » seu « potari ». Hürth, op. cit. p. 59.

[35] Praeceptum esse grave eruitur vel ex eo quod Legislator maluerit rubricas Missalis mutare, quam sacerdotibus bis vel ter celebrantibus permittere ut biberent illam parvam quantitatem vini quae bibi solet in ablutionibus.

solido apta et sufficiens habetur ad vitandas irreverentias in SS. Eucharistiam.

a) Regula generalis est in nova disciplina: omnes non infirmo a lege ieiunii dispensatos, obligatione tamen teneri *abstinendi saltem unius horae spatio a potu* (non alcoholico). Cuius rei ratio in eo posita est, quod irreverentiae in SS. Eucharistiam semper sunt vitandae et quod ad SS. Eucharistiam accedens oportet sit sufficienter paratus ad dispositiones non solum animae sed etiam corporis quod attinet. Abstinentia autem unius horae spatio a potu (non alcoholico) sufficiens, experientia teste, habetur ad praecavendas irreverentias in SS. Eucharistiam, et apta praeparatio ad dispositiones corporis quod attinet [36].

Haec regula prae oculis habenda est in solvendis quaestionibus quae oriri possent. Ita, e. gr., concesio sacerdotibus, qui in adiunctis a lege probatis versantur, facta aliquid sumendi per modum potus « servato ieiunio unius horae ante Missae celebrationem » (Instr., n. 6), sic intelligenda est ut ipsi aliquid per modum potus sumere permittantur ante quamlibet Missam, ideoque, si bis vel ter celebrant, tum ante primam, tum ante secundam, tum ante tertiam, *dummodo hoc fiat una saltem hora ante unamquamque Missam* [37]. Unde si temporis spatium inter finem prius celebratae et initium posteras celebrandae Missae minus esset quam una hora, non possent hoc temporis spatio aliquid per modum potus sumere, quod tamen licite possunt sumere *usque ad unam horam ante primam Missam celebrandam*, etiamsi haec celebraretur summo mane (cfr. Instr., n. 6).

b) Ad cibos solidos quod attinet, temporis spatium quo quis tenetur ab eo abstinere, in nova disciplina [38] ad tres horas usque ad initium Missae vel S. Communionem coarctatum est. Quae quidem abstinentia, per tres horas protracta, apta et sufficiens habetur ad evitandas irreverentias in SS. Eucharistiam et ut quis, ad sacram Synaxim accessurus, paratus, ad dispositiones corporis quod attient, habeatur.

---

[36] Ab hac lege excipiuntur *infirmi*, qui proinde aliquid per modum potus sumere permittuntur quolibet momento, etiam immediate ante Missam vel Communionem.

[37] « Quanto al sacerdote che bina o trina, sembra ragionevole e conforme alle nuove disposizioni che, esistendo una delle circostanze di cui si parla nella Costituzione al § III, il permesso di prendere qualche cosa *per modum potus* un'ora avanti la S. Messa, debba intendersi per ogni Messa celebrata sia la prima, sia la seconda, sia la terza; purchè venga fatto almeno *un'ora prima di ciascuna Messa* ». Fanfani, op. cit., p. 148-149 g).

[38] In facultatibus ante Constitutionem « Christus Dominus » concessis temporis spatium, quo quis a solido cibo abstinere tenebatur, erat quattuor horarum.

Concessio autem cibos solidos manducandi, servato tamen ieiunio trium horarum, facta est tantum sacerdotibus *Missam vespertinam celebraturis* et fidelibus in eadem sacram Communionem recepturis, quin aliquid fuerit mutatum quoad ieiunium servandum ante Missam media nocte celebrandam in Nativitate Domini et ante Communionem sumendam in eadem (cfr. *supra*, n. 19, *c*).

26. Concessae dispensationes nec in earum interpretatione nec in earum usu amplificandae sunt.

a) Hoc principium saepe saepius tum in Constitutione tum in Instructione urgetur: « Locorum tamen Ordinarii curent, ut quaelibet vitetur interpretatio, quae concessas facultates amplificet, utque ab omni abusu et irreverentia hac in re caveatur » (Const., *in fine*); « ut normae ad huiusmodi concessiones pertinentes ubique conformi ratione serventur atque evitetur quaelibet interpretatio, quae concessas facultates amplificet, utque ab omni abusu hac de re caveatur...» (Instr., *Proëm.*); « quaelibet vitetur interpretatio quae facultates concessas amplificet » (ib., n. 5); « causae autem gravis incommodi tres enumerantur, quas extendere non licet » (ib., n. 10); « Constitutionis atque huius Instructionis interpretatio textui fideliter adhaereat, neque ullo modo facultates tam favorabiles amplificet » (ib., n. 19).

Praeterea notandum est dies in quibus locorum Ordinarii facultate augentur permittendi in proprio territorio Missae vespertinae celebrationem, *taxative* enumerari in Instructione (n. 12).

b) Dispensationes concessae intelligendae sunt solum si circumstantiae adsunt quae sequuntur: a) infirmitatis; b) laboris debilitantis ante Missam vel Communionem suscepti; c) tardioris horae in qua quis Missam celebret aut Communionem suscipiat; d) longi itineris peragendi ut quis ad Ecclesiam perveniat; e) Missae vespertinae celebrationis ab Ordinario loci permissae. His autem circumstantiis alias circumstantias seu *generales* causas dispensationis addere non licet, et ideo, quodcumque incommodum, etiam grave, quod ab aliis circumstantiis, quae in Constitutione non enumerantur, proveniret, non esset sufficiens ut quis dispensatione a lege ieiunii fruatur [39].

---

[39] Si casus occurret gravis incommodi, qui non esset intra ambitum alicuis categoriae a Lege probatae, fideles semper possunt dispensationem petere a S. Congregatione Sacramentorum, vel de Propaganda Fide, vel pro Ecclesia Orientali, religiosi vero (non sacerdotes) a S. Congr. Religiosorum et sacerdotes a S. Congr. S. Officii. In praxi tamen SS. Congregationes, praesertim vero S. Officii, non admittunt novas dispensationis causas, sed potius solent, quantum fieri possit, novos

c) Hoc autem quod posterius diximus non impedit quominus *intra cuiusque causarum categoriae ambitum* alii casus addantur, praeter illos qui in Constitutione et Instructione enumerantur. Re quidem vera, causis gravis incommodi ab Instructione enumeratis (n. 10) verbum « *etc* » adiungitur, ex quo certissime patet Legislatorem noluisse omnes casus, e. gr., debilitantis laboris ante Communionem suscepti, enumerare; si igitur casus occurrat, qui sit intra ambitum cuiusque causarum categoriae, quamvis non memoretur explicite, fidelis, de prudenti confessarri consilio (cuius est ipsum casum diligenter perpendere et motivum, quo petitur dispensatio, examini subiicere) [40], licite frui potest dispensatione. Sit unum exemplum [41]. Nihil nec in Constitutione nec in Instructione explicite decernitur in favorem *senium*, quorum tamen Legislator oblitus fuisse putandus non est, cum et in concessionibus minus amplis ante Constitutionem factis de eisdem specialiter cautum fuisset. Concludendum est igitur et in Constitutione eis provisum fuisse *implicite* ab aliqua norma, pressius vero norma quae *infirmis* providet: ipsa senectus enim est morbus. Senes proinde, qui absque gravi incommodo legem ieiunii eucharistici observare nequeant [42], eadem dispensatione qua infirmi frui possunt, praerequisito et praehabito, — nisi ageretur de sacerdotibus — favorabili consilio confessarii.

27. **Omnes dispensationes, facultates, indulta antea a S. Sede concessa, tum territorialia, tum personalia, necnon consuetudines novae disciplinae contrariae abrogata censenda sunt.**

a) In Constitutione (*in fine*) statuitur: « Quaecumque autem hisce Litteris decreta continentur, ea omnia stabilia, rata ac valida esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis; atque abolitis ceteris omnibus privilegiis ac facultatibus, quomodocumque a Sancta Sede concessis, ut ubique omnes hanc disciplinam aetque riteque servent »; item in Instructione (n. 18): « Pariter curent [locorum Ordinarii], ut nova disciplina a cunctis subditis uniformiter observetur, eosque doceant, omnes facultates et dispensationes, tum territoriales tum personales, hactenus a Sancta Sede concessas, abrogatas esse »; « quod ad consuetudines attinet, quibus a nova disciplina discrepare contingat, clau-

---

cesus contrahere intra ambitum alicuis categoriae a Constitutione « Christus Dominus » probatae.

[40] Ita etiam Fanfani, op. cit., p. 147): « Spetterá al Confessore (per quanto riguarda i semplici fedeli), il cui giudizio è anche qui necessariamente richiesto, esaminare caso per caso il motivo addotto, e vedere se rientra effettivamente nell' una o nell' altra delle categorie di cause enumerate nella Costituzione ».

[41] Alia exempla *infra*, suo loco, statuemus.

[42] Cfr. *supra*, n. 19, b. Non amplius requiritur ut senes certam aetalem attigerint, sicut statuebatur in concessionibds antea factis.

sula illa abrogativa animadvertenda est: 'contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dgnis' » (ib., n. 19).

b) Ex his, quos nuper attulimus textus, clarum esse videtur novam disciplinam *ubique terrarum* et *pro omnibus fidelibus vigere*, ideoque etiam *pro Ecclesia Orientali* et *in territorio Propagandae Fidei subiectis.*

c) Sed et aliud clare deducitur, omnes scilicet dispensationis concessiones a S. Sede hactenus factas, tum directe tum per facultates Ordinariis concessas, tum territoriales tum personales, abrogatas esse. Salvo meliori iudicio, abrogatas esse putamus etiam concessiones militibus factas, quibus, proinde, communionem in horis vespertinis suscipere amplius non licet, nisi intra Missam.

d) Attamen ab hac universali abrogatione excipiendas esse putamus dispensationes a S. Sede concessas fidelibus qui orientales regiones Europae incolunt quique russico, proh dolor!, subiugantur imperio. In condicionibus enim specialissimis hi fideles versantur et persecutione plus minusve occulta cruciantur in odium fidei.

e) Pro omnibus vero aliis fidelibus, ne illis quidem exceptis qui terras Missionum incolunt, nova viget disciplina, abrogata quacumque alia lege particulari novae disciplinae contraria aut etiam diversa, a S. Sede antea lata. *Consuetudines*, tum universales tum particulares, novae legi contrariae, abrogatae censendae sunt, etiamsi centenariae aut immemorabiles sint.

28. **Nova disciplina spirituale fidelium bonum quam maxime promovet; in hunc finem proinde, servatis servandis, interpretari et applicari debet.**

Supra (n. 18) diximus Summum Pontificem, in nova promulganda lege circa ieiunium eucharisticum, finem Sibi proposuisse adipiscendum spirituale fidelium bonum, pietate erga SS. Eucharistiam et frequenti Communionis usu, promovendi. « Ordinarii — monet Instructio (n. 20) — et sacerdotes, qui datis a Sancta Sede facultatibus perfrui debent, fideles studiose excitent, ut frequenter Missae Sacrificio adstare velint et pane eucharistico reficiantur opportunisque inceptis, praesertim sacra praedicatione, illud promoveant spirituale bonum, cuius adipiscendi gratia Summus Pontifex Pius XII Costitutionem edere voluit ».

Qui finis ut attingatur, talis est Constitutionis et Instructionis interpretatio facienda, quae spirituale fidelium bonum promoveat, quae scilicet et laxismum, in abusum et confusionem sese vertentem, et rigorismum animas impedientem quominus ad sublimiora ascendant, evitet.

(*Continuabitur*) P. Marius Castellano O. P.

II

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 7 Ianuarii 1953

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Les événements et la foi 1940-1952 (Jeunesse de l'Eglise), Editions du Seuil, Paris.

Et sabbato, loco feriae V, die 14 Martii 1953, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XII, in audientia E.mo ac Rev.mo D. Cardinali Pro-Secretario Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 16 Martii 1953.

M. Crovini, *Notarius*

(*A.A.S.* vol. 45, pag. 185).

ADNOTATIONES

Nostris tam difficilibus temporibus plures viri sua sollecitudine ac sollertia hodiernorum problematum solutionem quaerunt; nec mirum est si nonnulli viri, praecipue ex ecclesiasticis, novissimos eventus illustrare *conentur* luce quae ex doctrina ac praeceptis D. N. Jesu Christi provenit.

At, proh dolor!, haud raro quidam viri generosi, sed parum prudentes, hodierna facta atque casus miris opinionibus interpretantur ac solutiones vere reprobandas proponunt.

Inter hos viros enumerandus est Rev. P. M. J. Montuclard, O. P., e dominicana provincia Lugdunensi, qui iam ab aliquibus annis ante postremum magnum bellum cuiusdam « Motionis », quae « Junesse de l'Église » appellatur, auctor factus est.

Haec « Motio » curavit ut nonnulla opuscula, cum eodem titulo, typis publici iuris fierent.

Volumen fol. 180, ut fasciculum illius Collectionis, cum titulo « Les événements et la foi » — 1940-1952 — (Ed. du Seuil, Paris), editus anno 1952, recenter, ut notum est, *in Indicem librorum prohibitorum* est insertum.

Liber duabus partibus dividitur: *primae* auctor est idem p. M. I. Montuclard; *secundae* quidam sodalis « Motionis », D.nus Gilles Ferry. Adiunguntur, denique, nonnulla documenta seu dissertationis (« articles »), quae in collectione « Jeunesse de l'Église » ab anno 1940 ad annum 1949 editae fuerunt.

Attamen pars (p. 11-83), cuius auctor est p. Montuclard, haud dubie maioris momenti iure meritoque existimatur, cum in ea ideae fundamentales « notionis » exponantur.

Nunc est impossibile omnium, quae a p. Montuclard affirmantur, analysim instituere, nedum totius libri. De his, vero, loqui opportunum ducitur quae, secundum nostram opinionem, probabiliter occasio fuerunt ut S. Officium librum condemnaret.

* * *

Ut in ipso libri titulo innuitur, voluminis auctores secundum doctrinam ac praecepta christianae fidei novissima facta atque humanos eventus interpretari conantur s ive quae evenerunt perdurante immani bello sive quae postea facta sunt.

At conclusiones patris Montuclard ad animos perturbandos magis quam illuminandos haud dubie aptae sunt[1]

En praecipuae:

1. In dialogo, qui fingitur inter auctorem et quendam Cappellanum militum exercitus Statuum foederatorum Americae (U.S.A.), p. Montuclard pluries asseverat se doctrinam seu « *theoriam* » non sequi, sed potius praxim seu « *facta* ». Ita, ex. gr., ad p. 34, scribit: « Répondre directement aux objections de mon sympathique interlocuteur, nous aurait certaiment entraînés à disserter, en soi, *sur l'essence et le rôle historique du communisme.* C'eût été intéressant, mais je ne voulais, à aucun prix, quitter le terrain des faits » [1].

2. Putamus, vero, auctorem ob aliqua « *facta* » e recta via declinare, cum humanorum eventuum hanc imperfectam interpretationem exponit:

---

[1] p. 15 etiam leguntur haec verba quae « pragmatismum » sapiunt: « Je suis de ceux qui existiment que ce sont les événements bien plus encore que les idées qui mènent le monde et inspirent à l'homme ses théories et ces décisions... ».

Hodie « motio » operariorum maximi momenti est; hodie *tantum* « communismus » quaestionem operariorum optime proponit; hodie aequatio inter operariorum « classem » et « communismum » est perfecta.

« Communismus marxista » — ait — subtiliorem analysim instituit causarum hodiernae condicionis « classis » operariorum et *nunc* est *unica* « motio » quae ab eorum statu oppressionis et egestatis ipsos liberare intendit.

Et etiam « materialismus » historicus aut dialecticus, ut dicitur, in his circumstantiis magnam vim habet in animos operariorum.

Sufficit haec afferre: « ... mais, sans lui (id est: sine communismo) dans les années présents du moins, il n'y aurait plus, dans la classe ouvrière, que le vide, la stagnation et, sans doute, un immense désespoir...

« ... Pourquoi, demendez-vous? Mais tout simpliment — et je résume ici de longues réflexions mûries par l'expérience — tout simplement parce que le communisme répond avec sérieux et avec efficacité à quelques uns des besoins fondamentaux de la population laborieuse.

« ... Premièrement, la population ouvrière a besoin qu'on lui explique sa condition; or, seul le communisme, jusqu'ici, lui a découvert, en quelque sorte scientifiquement, les causes de l'oppression qui pèse sur elle ».

« ... Enfin, la population ouvrière, privée de ce qu'on appelle la culture, a besoin d'une conception de la vie et du monde adaptée à sa manière de penser et à sa condition; or, le communisme lui a offert, dans le marxisme, une philosophie dont Jean Lacroix écrivait, avec une grande pénétration, qu'elle est la *philosophia immanente du proletariat* » (pp. 36-37).

Hisce diebus, christiani, etiam per lucem Evangelii, parum valent — ait — apud operarios, cum sint ex illa classe qua « bourgeoisie = borghesia » dicitur: « Notre manière de présenter la religion est marquée *par la condition de l'intellectuel bourgeois...* » (p. 46).

Cum autem aliquis operarius ad professionem fidei christianae convertitur, alienus fit a classe operariorum: « Quand par hasard un travailleur manuel devient ou redevient chrétien, l'on remarque le plus souvent qu'il décroche peu à peu d'avec la classe ouvrière. Se veux dire qu'il échappe peu a peu à la condition ouvrière, devient peu à peu insensible aux intéréts proprement ouvriers: *il milite moins, il s'embourgeoise.* C'est l'historie, croyez-moi, de

beaucoup d'enciens jocistes et l'explication peut-être de bien des déceptions accumulées par le M. R. P. ... » (p. 45).

Paulo post auctor scribit huiusmodi operarios coram *hoc dilemmate* esse: « ou cesser d'être ouvrier ou cesser d'être croyant. Et comme il lui est matériellement impossible d'abandonner sa condition, comme, au surplus, il se sentirait lâche de trahir la cause ouvrière, une seule issue lui reste: *devenir athée* ». (pp. 47-48).

4. Auctor igitur solutionem non quaerit, animos magis illuminando efficaci luce quae ex Evangelio provenit; solutionem non invenit per gravem analysim eorum quae nobis, uti catholicis, *facienda sunt et adhuc non fecimus*. P. Montuclard promotor *non* fit alicuius « motionis », qua catholici omnes verbis et exemplo fortiter incitentur ad vitam conformandam doctrinae ac praeceptis Christi eiusque Ecclesiae. Sed conclusio patris Montuclard, tam mira et absurda, haec est: hodie oportet *non* contra communismum contendere, sed *tolerare* operarios atheos esse et materialistas; nunc tantum sollicite laborandum est ut classis operariorum liberari possit. *Postea*, *non antea*, laborandum erit ut ipsa christiana fiet. Cum operarii a servitute materali liberati sint, tunc purior fiet fides christiana, sive scoriis classis, quae « borghese-bourgeoise » dicitur.

« Condition périlleuse néanmoins pour le chrétien qui a choisi d'être un militant actif du mouvement ouvrier. A quoi bon le nier? Le risque qu'il court est un risque total: le risque de participier lui-même de plus en plus à l'athéisme. Personne ne songera à l'influencer ni à corrompre sa croyance et cependant, à moins d'un effort persévèrant de fidelité et d'approfondissement, il sentira, jour après jour, comme une menace insidieuse, s'évanouir sa foi ».

« Qu'on ne cherche pas surtout à empêcher cette crise: elle est inévitable et bienfaisante ». (pp. 69-70). Vide etiam quae in eadem pagina et in sequenti affirmantur.

Denique P. Montuclard fidelitatem suam in Ecclesiam profitetur simulque in « motionem » quae ad classis operariorum liberationem intendit.

De qua re auctorem nemo reprehendit. At ipse pluries affirmat neminem classem operariorum liberare posse, nisi communistae! Etenim sua facit verba cuiusdam sacerdotis Sinensis: « Je suis catholique; mais cela ne m'empêche pas d'avoir une très grande admiration pour les communistes... »

Et post omnia documenta Pontificia ac post Decretum S. Officii, p. Montuclard illa verba definit: « émouvante profession de foi! »

Valde mira est haec fidelitas in Ecclesiam!

* * *

Analysim institui non brevem eorum quae in hoc libro affirmantur, quia huiusmodi opiniones, tam falsae, etiam in animos nonnullorum ecclesiasticorum aliuqam vim persuasionis habuerunt.

Has notitias, denique, referre opportunum iudico:

Opiniones huius libri quamdam notam censurae meruerunt Consilii Vigilantiae Archidioecesis Parisiensis, quae publici iuris facta est in *La Semaine religieuse* de Paris. (2 febr. 1952).

P. Gabel, quoque, Director « La Croix » die 13 februarii 1952 iure meritoque opiniones libri « Les événements et la foi » reprehendit.

Superiores, autem, religiosi patris Montuclard librum e commercio retrahi mense februario eiusdem anni praeceperunt.

C. M.

III

DECRETUM

SACERDOS LEONARDUS FEENEY EXCOMMUNICATUS DECLARATUR

Cum sacerdos Leonardus Feeney, Bostonii (*Saint Benedict Center*) residens, qui propter graviter denegatam oboedientiam Auctoritati Ecclesiasticae a divinis iamdudum suspensus fuerat, non obstantibus iteratis monitionibus et excommunicationis ipso facto incurrendae comminatione, non resipuerit, E.mi ac Rev.mi Patres rebus fidei ac morum tutandis praepositi, in Plenario Conventu Feriae IV, habito die 4 Februarii 1953, eundem excommunicatum cum omnibus iuris effectibus declaraverunt.

Feria autem V, die 12 Februarii 1953, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Papa XII E.morum Patrum decretum adprobavit, confirmavit atque publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die XII Februarii a. MCMLIII.

Marius Crovini, *Notarius*

(*A.A.S.* vol. 45, pag. 100)

ADNOTATIONES

Ut ex ipso Decreto S. Officii eruitur, p. Leonardus Feeney in gravissimam poenam excomunicationis incurrit, postquam per aliquos annos auctoritates ecclesiasticae eum ad resipiscentiam inducere conatae sunt.

P. Feeney, tunc sodalis Societatis Iesu, anno 1945 « *praefectus* » spiritualis cuiusdam Operis « *St. Benedict Center* » nominatus est. Hoc Opus uti optimum finem habebat spiritualem curam plurium alumnorum quorundam Universitatum studiorum quae sunt in territorio Archidioecesis Bostoniensis.

Iam tunc p. Feeney contra liberales opiniones, quas ipse catholicis americanis et etiam ecclesiasticis tribuerat, ultra modum ac sine prudentia contendere coepit.

Anno 1948, ob eius immoderantiam, superiores religiosi quibusdam poenis vel remediis ordinis disciplinaris eum affecerunt.

At p. Feeney Superiorum praeceptis se non subiecit; eique aliqui alumni et quidam docentes in Universitatibus adhaeserunt. Res vero eo pervenerunt ut ipse Ex.mus Archiepiscopus Bostoniensis patrem Feeney « *a divinis* » suspendere eiusque fautores a sacramentis recipiendis arcere coactus esset.

Denique etiam Sedis Apostolicae interventus necessarius factus est. Cum autem p. Feeney ob interpretationem celebri effati « *extra Ecclesiam nulla salus* » gravem fidei quaestionem posuisset [1], E.mus Cardinalis a Secretis Supremae S. Congregationis S. Officii, Summo Pontifice adprobante, ad Exc.mum Archiepiscopum Bostoniensem die 8 mense augusto anno 1949 epistolam misit, quae magnam auctoritatem et pondus in re dogmatica profecto habet.

Attamen p. Feeney in sua contumacia ac superbia perseveravit.

Si quis seriem temporum notaverit, facile auctoritatum ecclesiasticarum patientiam animadvertet; nam Decretum excomunicationis *quinque annos* latum est *post* initium manifestae rebellionis p. Feeney, qui nunc ut auctor cuiusdam schismatis, etsi parvi momenti, iure meritoque haberi potest.

APPENDIX

Textus epistolae S. Officii ad Archiepiscopum Bostoniensem, quae die 6 mensis septembris 1952 in folio Curiae Bostoniensis, qui « *The Pilot* » dicitur, publici iuris facta est.

Ex Aedibus S. Officii, die 8 agusti 1949

Prot. Num. 122/49

Excellentissime ac Rev.me Domine,

Suprema haec Sacra Congregatio perattente ortum ac progressum prosecuta est gravis contraversiae quae a nonnullis sociis

[1] Praecipue in opusculo, cui titulus erat « *From the Housetops* ».

institutorum « St. Benedict Center » et « Boston College » excitata est circa interpretationem illius effati « *extra Ecclesiam nulla salus* ».

Quum autem omnia documenta ad rem necessaria vel utilia perspecta fuerint, inter quae sive notitiae ab ista Curia receptae, sive recursus et relationes, quibus socii instituti « St. Benedict Center » suas opiniones quaerelasque exponunt, sive etiam plura alia ad controversiam spectantia ex officio collecta, eadem Sacra Congregatio sibi persuasum habet, deploratam controversiam ortam esse ex eo quod effatum illud « *extra Ecclesiam nulla salus* » non recte comprhensum ponderatumque fuerit, eandemque exacerbatum ex gravi disciplinae perturbatione, qua nonnulli sodales institutorum quae supra memorata sunt, obsequium et oboedientiam erga legitimas auctoritates dectrectaverint.

Itamque Eminentissimi ac Rev.mi Patres Cardinales Supremae huius S. Congregationis, in conventu plenario, Feria IV, die 27 iulii 1949 habito, decreverunt et Augustus Pontifex in Audientia sequentis Feriae V, diei 28 iulii 1949, approbare dignatus est, ut dentur explanationes quae sequuntur ad doctrinam pertinentes, itemque invitamenta atque exhortationes, quae ad disciplinam spectant, tradantur:

Fide divina et catholica ea omnia credere tenemur, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia non tantum solemni iudicio, sed etiam ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. (Denzinger n. 1792).

Inter ea autem, quae smper Ecclesia praedicavit et praedicare numquam desint, illud quoque infallibile effatum continetur quo dedocemur *extra Ecclesiam nullam esse salutem.*

Est tamen hoc dogma intelligendum eo sensu, quo id intelligit Ecclesia ipsa. Non enim privatis iudiciis explicanda dedit Salvator Noster ea, quae in fidei deposito continentur, sed ecclesiastico magisterio.

Et primum quidem Ecclesia docet, hac in re agi de severissimo praecepto Iesu Christi. Ipse enim expressis verbis Apostolis suis imposuit ut docerent omnes gentes servare omnia quaecumque Ipse mandaverat. (Math. XXVIII, 19-20).

Inter mandata autem Christi non minimum locum illud occupat quo Baptismo iubemur incorporari in Corpus Mysticum Christi, quod est Ecclesia, et adhaerare Christo eiusque Vicario, per quem Ipse in terra modo visibili gubernat Ecclesiam.

Quare nemo salvabitur qui, sciens Ecclesiam a Christo divinitus fuisse institutam, tamen Ecclesiae sese subiicere renuit vel Romano Pontifici, Christi in terris Vicario denegat oboedientiam.

Neque enim in praecepto tantummodo dedit Salvator ut omnes gentes intrarent Ecclesiam, sed statuit quoque Ecclesiam medium esse salutis, sine quo nemo intrare valeat regnum gloriae caelestis.

Infinita sua misericordia Deus voluit ut illorum auxiliorum salutis quae divina sola institutione, non vero intrinseca necessitate, ad finem ultimum ordinantur, tunc quoque certis in adiunctis effectus ad salutem necessarii obtineri valeant, ubi *voto* solummodo vel *desiderio* adhibeantur. Quod in Sacrosanto Tridentino Concilio claris verbis enuntiatum videmus tum de Sacramento Regenerationis tum de Sacramento Poenitentiae (Denzinger, nn. 797, 807).

Idem autem suo modo dici debet de Ecclesia, quatenus generale Ipsa auxilium salutis est. Quandoquidem ut quis aeternam obtineat salutem, non semper exigitur ut *reapse* Ecclesiae tamquam membrum incorporetur, sed id saltem requiritur, ut eidem *voto et desiderio* adhaereat.

Hoc tamen votum non semper explicitum sit oportet, prout accidit in catechumenis: sed ubi homo invincibili ignorantia laborat, Deus quoque *implicitum votum* acceptat, tali nomine nuncupatum, quia illud in ea bona animae dispositione continetur, qua homo voluntatem suam Dei voluntati conformem velit.

Quae clare edocentur in dogmaticis illis Litteris a Summo Pontifice PIO Papa XII, die 29 iunii 1943 editis « De Mystico Iesu Christi Corpore ». (A.A. Sedis, vol. XXXV, a. 1943, p. 193 ss). In iisdem enim Summus Pontifex nitide distinguit inter eos, qui *re* Ecclesiae tamquam membra incorporantur, atque eos qui *voto* tantummodo Ecclesiae adhaerent.

Agens enim de membris, quibus Corpus Mysticum hisce in terris componitur (A. A. Sedis, 1. cit., pag. 202) idem Augustus Pontifex dicit: « In Ecclesiae autem membris *reapse* ii soli adnumerandi sunt qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur neque a Corporis compage semet ipsos misere separaverunt vel, ob gravissima admissa, a legitima auctoritate seiuncti sunt ».

Circa finem autem earundem Litterarum Encyclicarum, amantissimo animo eos ad unitatem invitans, qui ad Ecclesiae Catholicae compagem non pertinent, illos commemorat « qui inscio quodam *desiderio ac voto* ad Mysticum Redemptoris Corpus ordinentur » quos minime a salute aeterna excludit, ex altera tamen parte in tali statu versari asserit « in quo de sempiterna cuiusque propria salute securi esse non possunt... quandoquidem tot tantis caelestibus muneribus adiumentis carent, quibus in Catholica solummodo Ecclesia frui licet » (A. A. Sedis l. c. pag. 243).

Quibus verbis providentibus tam eos reprobat, qui omnes *solo voto implicito* Ecclesiae adhaerentes a salute aeterna excludunt, quam eos qui falso asserunt homines in omni religione aequaliter salvari posse. (Cfr. PII Pp. IX Allocut. « Singulari quadam » apud Denzinger, nn. 1646 ss. — item eiusdem PII Pp. IX Litt. Encucl. « Quanto conficiamur moerore » apud Denz n. 1677)

Neque etiam putandum est quodcumque votum Ecclesiae ingrediendae sufficere ut homo salvetur. Requiritur enim ut votum quo quis ad Ecclesiam ordinetur, perfecta caritate informetur: nec *votum implicitum* effectum habere potest, nisi homo fidem habeat supernaturalem: « Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit ». (Hebr. XI,) Ait enim Concil. Trident. (Sess. VI, cap. 8) « Fides est humanae salutis initium fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo et filiorum Eius consortium pervenire » (Denz. n. 801).

Ex praedictis clarum igitur est et quae in commentario « *From The Housetops* » fasc. III, tamquam genuina Ecclesiae Catholicae doctrina proponuntur, ab eadem longe distare et esse valde et esse valde nociva tam iis qui intra quam iis qui foris sunt.

Ex hisce declarationibus, quae ad doctrinam attinent, nonnulla consequuntur, quae ad disciplinam et modum sese gerendi spectant, quaeque ignorari nequeunt ab iis qui strenue defendunt necessitatem, qua omnes adstringuntur, Ecclesiam veram participandi et sese subiiciendi auctoritati Romani Pontificis et Episcoporum « quos Spiritus Sanctus posuit... regere Ecclesiam » (Act. XX, 28).

Itaque intelligi non potest quomodo Institutum « St. Benedict Center » sibi cohareat, quod, quum se scholam catholicam profiteatur ac talem habere velit, re tamen vera praescriptis canonum 1381 et 1382 Codicis Iuris Canonici non conformetur, idemque fons exsistat discordiarum et rebellionis contra auctoritatem ecclesiasticam et turbationis multarum conscientiarum causa.

Item non intelligitur quomodo religiosus vir, scilicet Pater Feeney, se « defensorem fidei » exhibeat, simulque impugnare non dubitet catecheticam institutionem, a legitimis auctoritatibus propositam, neque veritus sit incurrere in graves sanctiones a sacris canonibus comminatas ob graves ipsius transgressiones contra officia religiosi, sacerdotis et simplicis quoque fidelis.

Denique minime tolerandum est quosdam catholicos sibi tribuere velle ius publicandi commentarium, ad doctrinas theologicas evulgandas sine competentis Auctoritatis Ecclesiasticae licentia, quae « imprimatur » dicitur, ut sacris canonibus cautum est.

Sedulo igitur animadvertant illi qui in gravi discrimine adver-

sus Ecclesiam versantur, semet ipsos, postquam « Roma locuta est » nec excusari quidem posse bonae fidei rationibus. Eorum sane vinculum et oboedientiae officium erga Ecclesiam multo est gravius quam eorum qui « adhuc nonnisi inscio quodam voto » ad Ecclesiam ordinantur: considerent enim se esse filios Ecclesiae, ab Eadem lacte doctrinae et Sacramentorum pie enutritos ideoque sese, audita clara voce Matris, ab ignorantia culpabili excusari non posse, et hac de causa de ipsis absque ulla restrictione valere verbum illud: subiectionem Ecclesiae Catholicae et Summo Pontifici debitam esse de necessitate salutis.

Quae dum Tecum communico impensam meam observantiam Tibi obtestor, permanens

Excellentiae Tuae Reverendissimae addictissimus,

† F. Cardinal Marchetti-Selvaggiani

A. Ottaviani
Adsessor.

Secret.

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Instructio pro postulandis apostolicis indultis oratorii domestici, altaris portatilis, litandi Missam sine ministro et Asservandae SS. Eucharistiae in privatis sacellis.

ADNOTATIONES [1]

9. Iuxta sibi praestitutas « *Normas* », de quibus sub n. 1 huius paragraphi, S. Congregatio de Sacramentis privata oratoria indulgebat aut *ad tempus* aut *ad totam indultariorum vitam* pro natura allegatae causae. Hinc periculum abusus, spectata speciali indultariorum qualitate, non suppetebat quando agebatur de privilegio concedendo presbyteris, praesertim si aegroti et pauperes exstabant, qui indultum de more rite impetrare poterant ad praefinitum tempus valiturum, nempe *ad triennium* aut, rarius, *ad quinquennium*, quo exspirato et perseverante causa prorogationem facile impetrabant.

Ast periculum istud utique poterat imminere quum de laicis indultariis ageretur, quibus, ut plurimum, indulgebatur sacellum privatum per Breve, nempe ad integram eorum vitam. Casus quibus indultum dabatur per rescriptum, ideoque ad certum tempus, laicis fidelibus solvendo Brevis expensas imparibus, admodum perpauci erant continenterque iis indulgebatur ex Audientia SS.mi.

Spectata antiquitus instaurata praxi privatum oratorium concedendi per Breve ad totam indultarii vitam, sequebatur privilegium huiusmodi potuisse ad diuturnum tempus protrahi, etiam ad plures subsequentes generationes, uti si praeter parentes filii ac nepotes indultarii renuntiarentur.

Equidem postremis hisce temporibus hunc privilegii amplissimum ambitum merito intra aequiores limites coërcere placuit S. Congregationi adiiciendo concessionis rescripto in Brevi consecrandam coarctantem clausulam « *si tamdiu indultarii uno eodemque utantur contubernio* »: quae clausula *privilegii unicitatem* tutabatur et dum omnibus indultariis in Brevi enumeratis communem sacelli usum concedebat quoadusque iidem in eadem familia stabiliter cohabitabant, privilegium adimebat indultario statim ac iste contubernio familiae derelicto novum instarabat extra domesti-

[1] Cfr. *Monit. Eccl.* LXXVI, (1951), fascic. tertius, p. 456 ss.

cos aliorum indultariorum parietes: puta, uti assolet, cum filium aut filia primi indultarii occasione initi matrimonii alibi stabile suum figebat domicilium. Ceteri indultarii igitur frui pergebant oratorii indulto, quod demum dumtaxat exstinguebatur morte superveniente postremi indultarii.

Porro inspecta inveterata praxi constituendi indultarios praeter coniuges, eorum parentes, fratres ac sorores, natos atque nepotes, absque clausula quae unicitatem privilegii tueretur, gravis sequebatur abusus quod privata oratoria in infinitum quasi multiplicabantur totidemque evadere poterant sacella quot erant personae, quae in indulto recensebantur, si a familiari domicilio egressae, alibi domicilium suum figebant. Et praeter istam immodicam sacellorum multiplicitatem id consequebatur quod oratorii privati privilegio non semel uterentur personae Ecclesiae tractu temporis invisae et infestae, abiectis moribus foedatae christianaeque plebi probo ac dedecori effectae. Quod vero periculu maliquando impendere cernebatur etiam quum indulti elargitio intra arctiorem ambitum contineretur.

10. Sed et de alio removendo abusu agendum erat. Non sepel enim superioribus acciderat ut quaedam familiae patriciae praesertim, quarum maiores a Summis Pontificibus, eorum consanguineis aut affinibus, ex *motu proprio* per Breve consequutae essent indultum domestici sacelli sub amplissima indulgendi formula, ut scil. semper valeret « *pro oratoribus eorum filiis ac descendentibus in perpetuum* ».

Quo factum estiunt nonnulli istarum familiarum descendentes ex linea foemica, vi huius clausulae, sibi ius arrogarent adhuc eodem indulto perfruendi etsi agnati postremi non essent in linea recta primi indultarii. Pro istius indulti aequa aestimatione stabat e contra S. C. Concilii decisio diei 11 dec. 1886, iuxta quam oratorii privati privilegium perampla enunciata forma concessum cum clausula ut valeret indultario « *eiusque natis et descendentibus in perpetuum* » exstinctum haberi debere cum ultimo *agnato* aut *agnata* in linea recta primi indultarii, cum non possent dicta Brevia applicari in favorem descendentium ex linea foeminea. Aliis verbis, vi huius decisionis, indultum oratorii non extendebatur ad lineam cognatitiam sed tantummodo ad agnatitiam.

Haec, prout animadvertebat praefata S. Congregatio, fuerat diuturna domesticaque interpretatio Secretariae Brevium (cfr. S. C. de Sacr. in una *Romana* n. 1178/23).

Huic igitur amovendo abusui, si alicubi irrepsisset, semper studuit S. Congregatio de Sacramentis locorumque Ordinariis commi-

sit ut quoties, dum sacram dioecesis visitationem peragerent, privilegium oratorii privati praefata forma concessum contra S. C. Concilii decisionem adhuc in suo vigore detegerent, necessaria adhibita prudentia, exstinctum prorsus decernerent atque insinuarent S. Congregationem paratam esse ex quadam canonica aequitate istis indultariis novum oratorii Breve concedere ad eorum vitam, si amissi privilegii renovationem, ceteris concurrentibus, postularent.

11. Sed et de alio interimendo abusu consulendum erat ex bnormi extensione indulti procedente.

Admodum frequentes succurrebant casus, quibus aut eodem aut distincto tempore pro eodem privato sacello omnes aut fere omnes petebantur *extensiones* a « *Normis* » (a n. 1 ad 7 inclusive) descriptae: et ita 1) quoad praecepti satisfactionem postulabatur extensio *numquam etiam non commorantes sub eodem tecto, colonos et fundo addictos, omnes commorantes in castro aut magna possessione, et ad consanguineos et affides; familiares, hospites et commensales, non quandoque ad omnes adstantes;* 2) in precaria absentia indultariorum petebatur *ut Missam iubere posset unus ex consanguineis aut affinibus aut ex colonis vel fundo addictis;* 3) ut *plures indulgerentur Missae*, ita ut *secunda Missa litaretur in gratiarum actione, in agonia, obitu, die anniversaria obitus alicuius indultariorum; ut indultum extenderetur ad sollemniores e tad sollemnissimos dies non semel; ad plures dioeceses; necnon, casu infirmitatis eaque permanente, ad Missam prope cubiculum celebrandam.*

Praeterea facultas implorabatur pro tribus Missis litandis in nocte Nativitatis D. N. J. C. et pro Missa pariter celebrada feria V in Coena Domini, adeo ut familiae nonnullae Missas in oratorio iubere valerent omnibus annis diebus, etiam citra gravis morbi causam, si duos tantum excipias aliturgicos dies, feriam VI in Parasceve et Sababtum Sanctum (cfr. can. 820).

Quare quisque videt quam incongruum esset ut tali amplitudine ista indulta concederentur et quomodo praestaret et urgeret ut ad divini Sacrificii praecellentiam sanctitatem que sospirandam inter angustiores terminos privata sacella coarctarentur.

12. Quod vero propius attinet *ad sollemniores dies* nonnulla erant animadvertenda inspectis immutationibus inductis post editas « *Normas* » a S. C. de Sacramentis scil. innovationibus illatis a *Motu proprio* Beati PII PP. X « *Supremae disciplinae* » diei 2 iul. 1911 et a Codice I. C.

Ut vitarentur periculosae confusiones bene definiendi erant in casu uot et quinam in individuo hi essent, aperteque erant declarandi

ne indultrarii privati sacelli aut in erronea inducerentur aut hisce abuterentur.

Quaestio proposita fuerat S. R. Congregationi: « Quinam sint sollemniores dies, in quibus pro omnibus peculiare indultum non habentissimus Missae sunt vetitae in privatis oratoriis? et eadem S. Congregatio reposuerat: « illi per se sunt sollemniores in casu, qui describuntur in Coeremoniali Episcoporum l. II, c. XXXIV, n. 2 et de praecepto servantur ».

Porro *sollemniores dies* descripti in Coeremoniali Episcoporum l. c. erant: dies Nativitatis D. N. J. C.; Epiphaniae; Paschatis Resurrectionis; Ascensionis; Pentecostes; S. Joseph (19 martii); Annuntiationis; Assumptionis B. M. V. in caelum; Immaculatae Conceptionis B. M. V. SS. Apostolorum Petri et Pauli; Omnium Sanctorum; Titularis Ecclesiae; Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Feria V. in Coena Domini.

Id igitur prae primis erant animadvertendum hos dies tamquam sollemniores habendos non esse si in loco oratorii de praecepto non servarentur.

Equidem v *Normae* » editae a S. C. de Sacr. (I n. 3) *sollemniores dies* pro Ecclesia universali coarctabant ad duodecim, ad quatuor autem pro Gallia, et ex illis duodecim *quatuor sollemnissimos* nuncupabant ac recensebant, nempe: diem Nativitatis D. N. J. C.; Paschatis Resurrectionis; Assumptionis B. M. V. in caelum et Patroni civitatis vel loci.

Id valebat usque ad memoratum *Motu proprio* B. Pii X, quod nonnullos dies festos de praecepto absolverat, inter quos diem S. Joseph (19 martii) et Patroni loci: quibus igitur diebus Missa in oratorio concesso cum exclusione dierum sollemniorum litari poterat. Codex I. C. insuper can. 1247, quosdam ex illis, quondam de praecepto quoad Missae adsistentiam, abrogavit et ideo in iisdem abrogatis amplius non erat prohibita celebratio Missae in privatis oratoriis concessis cum exclusione dierum sollemniorum. Hi festi dies, a praefato canone expuncti, sunt: Annuntiatio B. M. V.; Sancti Ecclesiae titularis; Anniversaria dies Dedicationis ecclesiae cathedralis. Quosdam autem festos dies de praecepto abrogatos a *Motu proprio* PII PP. X restituit Codex citato 1247, inter quos festum S. Joseph (19 martii). Haec proinde rite pervedenda erant [2].

Nec erat negligendum quod si alicubi exterior sollemnitas illorum festorum sollemniorum ob speciale privilegium transferebatum ad sequentem dominicam diem aut ad praecedentem, non

---

[2] *S. R. C.*, 10 april. 1896.

erat amplius exceptus, quoad Missae litationes in privato sacelo, *nec dies a quo* nec *dies ad quem* [3].

Feria autem V in Coena Domini excepta erat, quamvis non de praecepto, exceptaque remanebat alia d ecausa [4].

Quapropter iure quo nunc utimur *sollemniores dies* post recolitum *Motu proprio* et *Codicem J. C.* (can. 1247) hi recenseri debent: *Nativitatis D. N. I. C.; Epiphaniae; Paschatis Resurrectionis; Ascensionis D. N. I. C.; Pentecostes; S. Ioseph* (19 marti); *Assumptionis B. M. V. in caelum; Immaculatae Conceptionis B. M. V.; SS. Apostolorum Petri et Pauli; Omnium Sanctorum;* ac *feria V in Coena Domini.*

Sollemnissimi vero *dies* sequentes *tres* habendi sunt: *Nativitatis D. N. I. C.; Paschatis Resurrectionis; Assumptionis B. M. V. in caelum.*

Ad qualibet igitur praecavendam perplexitatem, errorem, abusum hi enunciati dies procul dubio erant singillatim describendi.

13. Sed et alius inolitus nos postulandi et concedendi amplissimam privati oratorii extensionem ad omnes anni dies, sollemnissimis quoque non exceptis, aliqua limitatione indigere visus fuit iure Codicis inspecto.

Prae oculis enim habito statuto can. 1195 § 2, quo Ordinario facultas fit, iustis ac rationalibus accedentibus causis, diversis ab iis ob quas indultum apostolicum concessum fuerat, permittendi etiam sollemnioribus diebus *per modum actus* Missae celebrationem in domestico sacello, superfluus iam videbatur praefatus nos indulgendi permanenter hanc extensionem.

Equidem probe est adnotandum facultatem factam Ordinariis concedendi limitationem Missae *per modum actus* ad normam cit. can. cum moderanime esse accipiendam: proinde Ordinarius non posse dicendus est *quolibet anno* in eodem oratorio, etiam iisdem recurrentibus causis, Missam permittere sollemnioribus diebus, id enim secumferret subversionem finis legis, nam concessio per modum actus ut supra facta esset ac modo permanente effecta.

Alia coarctationis ratio repetenda erat, in locis ubi sacerdotes sive saeculares sive religiosi vel deerant vel rari exstabant, ex difficultate habendi presbyterum litaturum in privatis sacellis enunciatis sellemnioribus diebus citra spirituale fidelium detrimentum ad publica oratoria vel ecclesias accedentium. Quod si particularis re-

---

[3] Cfr. *S. R. C.*, 5 mart. 1896, Decr. 3890 ad I; 4 dec. 1896, *Decr.* 3233; Gasparri *de SS. Euch.* l. c. n. 235 in nota; Many, *de locis sacris* n. 88.

[4] Cfr. Gasparri l. c.

currebat casus alicuius infirmi, cui nimis graves foret carentia Missae aliquoox dictis diebus, profecto curandum erat ut gratia auditionis Missae in eius exclusivum vergeret favores aut, ad summum, alterius dumtaxat personae eidem ex necessitate adsistentis, uti indulgeri solebat primis annis post Tridentinum Concilium.

Hic procedendi modus, seu denegatio extensionis ad praefatos dies et aliud incommodum praecavebat, nempe necessitatem concedendi *iterationem Missae* in privatis oratoriis ob sacerdotum carentiam.

Em.mus Card. Gasparri, o. c. n. 235, formulam refert oratori privati adhibitam tempore Leonis PP. XIII, quae hanc clausulam amplectebatur: « dummodo... nullum exinde fidelibus quoad satisfactionem praecepti audiendi Missam festis diebus, detrimentum obveniat »; atque in nota 3 p. 165 aiebat: « haec clausula in antiquis formulis non habebatur. Si hoc detrimentum verificetur, *Episcopus licentiam dare non debet, aut datam debet revocare* ».

Haec igitur clausola non solum nata erat ad impediendam iterationem Missae ut unum Sacrum in domestico sacello litaretur, sed ad suspendendum ius habendi Missam si exinde fideless facultate privarentur Sacro adsistendi diebus de praecepto.

14. Quod autem refert remotio incommodi, quod procedere poterat a multiplicitate Missarum in privato sacello, magnopere praestabat urgere observantiam statuti can. 1195 § 1, quod *unicam Missam*, eamque lectam, decernit in tali oratorio litandam singulis anni diebus, sollemioribus exceptis, nisi aliud ab Apostolica Sede in indulto expresse caveatur.

Equidem iam norma recentiori tempore a S. Congr. de Sacramentis inducta, qua cavebatur unicitatem oratorii per clausulam, de qua sub n. 9, quando indultum concedebatur pluribus personis aeque principaliter ad hanc disciplinam servandam nata erat. Quod si in prateritum quaandoque indulgebatur plures (tres) Missae eodem die v. g. *in agonia*, *in obitu*, *praesente cadavere*, *in anniversaria die obitus unius ex indultariis*, aut duas Missas e. g. *in die gratiarum actionem*, eadem S. Congregatio, re mature ad trutinam revocata inde ab anno 1931 statuit has extensiones non esse amplius concedendas; et quod proprie attinet ad Missam domi celebrandam « *praesente cadavere* » disciplina ad rem fuit valde contracta per resolutionem Plenariae Congregationis in una *Romana et aliarum* (A.A.S., vol. XVIII, p. 388).

Rationes *unicitatis Missae* ita contrahit Gatticus (O. c., cap. XXVII n. 1): « Ne pluralitate Missarum privilegiati raro ad ecclesiam accedentis nimia desidia foveatur; ne minuatur numerus

publicarum Missarum; ne oratoria privata pene aemulentur proprietates ecclesiarum; ne plus aequo dispensetur in communi lege sine valde rationabili aut necessaria causa, ne demum periculum subsit irreverentiae, quod fotre facilius contingeret frequentiore domestica Missarum actione ».

Idem autem Auctor adnotabat insuper quod vergente saeculo VIII ab evidentibus indiciis depromptis a lib. III Capitularium, cap. 431, sibi constabat Missam in oratoriis privatis celebrari posse solis diebus ferialibus. Hanc praescriptionem referebat Capitulare Aquisgranae Caroli Quinti, anni 789, n. 9 (Tom. 3 Coll. Conc. Harduini), in quo imperabatur « ut in diebus festis vel dominicis omnes ad ecclesiam veniant et non invitent presbyteros ad domus suas ad Missam faciendam ». Censebat vero hanc limitationem Episcopis fuisse suggestam a speciali necessitate compescendi graves abusus tunc exortos ob multiplicitatem sine regula Missarum domesticarum. Ceterum etiam quum facultas dabatur Missam celebrandi diebus efstis, iugiter sollemniores dies excipiebantur (cfr. Conc. Agathensis et Averniensis) [5].

Clausula tamen Missam unicam continens, uti Doctores communiter tradunt, exceptionem patitur casu *gravis necessitatis* si secunda Missa sit e. g. necessaria pro viatico administarndo: quo casu etiam absente indultario Sacrum celebrari valet [6].

Caesar Zerba

[5] Cfr. *Ephemerides Liturgicae* a. 1896, pag. 209.
[6] *S. R. C.*, 27 augusti 1836, *Decr. auth.* 2745 ad VII.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ
ALIORUMQUE TRIBUNALIUM
ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Arcturo Wynen, *Ponente*

HIEROSOLYMITANA

Nullitatis Matrimonii, Seperationis et Alimentorum

Incidentium

1. - Josephus et Maria, ambo nati anno 1891 et ritus latini, obtento die 8 ianuarii 1909 a Patriarcha Latino Hierosolymitano dispensatione super impedimento consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis, die 7 februarii 1909 in ecclesia paroeciali latina oppidi Bethlehem rite matrimonium inter se inierunt. Annis 28 vitae coniugalis transactis, mulier secessit a domo maritali et die 17 decembris 1937 a Tribunali ecclesiastico latino Hierosolymitano petiit ut ipsi concederetur separatio legalis eaque perpetua a viro quoad torum, mensam et cohabitationem; et ut vir condemnaretur ad alimenta ipsi uxori praebenda. Mulier tamen adductas causas imploratae separationis non potuit probare per testes, nam, sicuti Delegatio Apostolica in Palaestina die 20 decembris 1942 S. Congregationi pro Ecclesia Orientali scripsit: « Tutti si sono rifiutati di deporre in Tribunale, dicendosi piuttosto disposti a giurare il falso ». Ideo mulier, quae iam propria auctoritate vitae communionem solverat, petiit ut loco causae *separationis* et *alimentorum* introduceretur causa *sustentationis*. Renuntiatio vero instantiae quoad priorem causam, ab actrice facta, non fuit acceptata a Tribunali, quod potius causam illam prosecutum est usque ad sententiam die 17 octobris 1939 latam, qua actrix iussa est vitae coniugalis consuetudinem restaurare. Exeunte anno 1939 mulier a Tribunali civili petiit separationem legalem, at, de consensu utriusque partis, causa die 10 februarii 1940 finem accepit quin sententia prolata fuisset. Deinde mulier paratam se declaravit ad reconciliationem cum viro perficiendam.

2. - Vir vero uxorem non amplius admittere voluit ad vitae consortium et etiam intercessionem Tribunalis ecclesiastici et commendationem ipsius Patriarchae reiecit. Tum mulier die 24 octobris 1940 Tribunali ecclesiastico novum exhibuit libellum, quo petiit ut vir condemnaretur ad solvenda debita ab uxore post eius discessum a viro contracta et ad alimenta ipsi uxori praebenda. In hac nova causa duae latae sunt sententiae, una die 24 maii

1941 a Tribunali Hierosolymitano, quae actricis votis fuit adversa; altera die 30 aprilis 1942 a Tribunali patriarchali pronuntiata est, qua quidem vir liberatus est a solvendis debitis, ab uxore post eius separationem a viro contracta, sed vir condemnatus est ad alimenta uxori a die 10 februarii 1940 praestanda, id quod accurate sic statutum est: « Si ordina con la presente al sig. Giuseppe di pagare a sua moglie signora Maria una pensione mensile di LP. 20 con effetto dal 10 febbraio 1940, come alimenti per il suo sostantamento, cioè: a) Gli si ordina di pagare a sua moglie la somma di LP. 540 per il precedente periodo che finisce il 10 maggio 1942, che dovrebbe essere pagato prima del 30 agosto 1942, e ciò in conformità all'articolo di legge 1922, § 2. b) Gli si ordina di pagare a sua moglie una somma mensile di LP. 20, con effetto dall'11 maggio 1942, che dovrà essere pagato il giorno 11 di ogni mese, e il primo pagamento dev'essere fatto l'11 maggio 1942 ».

3. - Tribunal patriarchale admisit quidem appellationem ad Tribunal superius, ipsa die qua sententia lata est a convento interpositam, at suo decreto eadem die 30 aprilis edito iussit fieri exsecutionem provisoriam sententiae. Cum vir haesitaret appellationem prosequi, brevi ante expirationem temporis utilis, ad prosequendam appellationem a iure statuti, seu die 26 maii 1942, Tribunal patriarchale conventum appellantem monuit de necessitate prosequendi appellationem et de modo id faciendi, offerendo suum auxilium; sed vir sprevit monitum Tribunalis patriarchalis, nam actis causae a viro eiusque advocato inspetcis, nullus actus processualis positus fuit; ceterum iam die 13 maii 1942 viri patronus adierat Tribunal civile, coram quo Tribunal patriarchale arguebat de incompetentia, proceduram de invaliditate, sententiam ipsam de laesione iuris naturalis, atque « per queste ed altre ragioni » petiit « che sia fermato il procedimento esecutivo e che sia fissata un'udienza per l'opposizione all'esecuzione ». Officium exsecutivum Tribunalis civilis districtus Hierosolymitani die 16 iulii 1942 decrevit exsecutionem sententiae patriarchalis; deest quidem in actis textus huius decisionis, at eius tenor habetur in sententia supremi Tribunalis civilis ad quod Josephus postea provocavit. Ibi enim legimus: « La questione fu poi passata all'Ufficio esecutivo e, dopo alcune inchieste, il Capo Officiale esecutivo ordinò l'esecuzione della sentenza in base al motivo che egli non poteva trovare alcunchè in essa di contrario alla giustizia naturale, e diede al marito dieci giorni per venire a questo tribunale ».

4. - Sicuti iam diximus, Josephus ab hac decisione provocavit ad supremum Tribunal civile. Istud autem Tribunal in sua sen-

tentia diei 25 septembris 1942, quamvis recte negaverit se esse in casu Tribunal appellationis, et obiectiones a Josepho contra sententiam patriarchalem promotas reiecerit, nihilominus decretum Officii Exsecutivi restrinxit « all'esecuzione di questa somma di LP. 20 mensili a cominciare dall'11 maggio 1942 »; aliis verbis, pro alimentis iuxta sententiam patriarchalem praestandis etiam a die 10 februarii 1940 usque ad diem 10 maii 1942 magistratus civilis nihil se facere velle proclamavit.

5. - Tum vir die 19 octobris 1942 voluit prosequi suam appellationem die 30 aprilis 1942 adversus sententiam patriarchalem interpositam; verum Tribunal patriarchale die 7 novembris 1942 decrevit appellationem fuisse desertam et sententiam illam in rem iudicatam transiisse ideoque exsecutioni mandandam esse, iuxta can. 1902, 2°. Adversus hoc decretum Josephus die 19 novembris 1942 appellavit ad S. Rotam, atque simul institit ut suspenderetur exsecutio sententiae diei 30 aprilis 1942. Non obstante hoc recursu ad Tribunal Pontificium facto, Josephus iterum praesumpsit recurrere ad Tribunalia civilia, a quibus tamen diebus 22 ianuarii 1943 et 17 februarii 1943 obtinuit decisionem adversam, et quidem hac vice Tribunal civile supremum, quod rem in secunda instantia decidit, perpenso novo decreto a Tribunali patriarchali edito, sententiavit totam summam quoad alimenta praestanda statutam esse solvendam a viro.

6. - Deinceps Josephus a Tribunalibus civilibus, quae contra ipsum sententiaverant, rediit ad S. Rotam, a qua petiit « di sospendere momentaneamente la causa di separazione e di pensione alimentare pendente davanti al S. Tribunale Rotale fino alla conclusione finale della nuova causa di nullità », quam scl. vir die 21 martii 1946 apud Tribunal patriarchale introduxerat, matrimonium suum accusans ex capite nullitatis dispensationis super impedimento consanguinitatis ante nuptias concessae. Ponens vero Turni, ad quem causa delata erat, die 25 octobris 1946 declaravit: « Auditis Auditoribus de turno, non admittitur suspensio instantiae apud N. S. T., quam actor petit ». Josephus autem die 2 augusti 1947 in causa nullitatis matrimonii rettulit sententiam suis votis contrariam, a qua die 21 augusti eiusdem anni provocavit ad S. Rotam.

7. - Die 17 martii 1950 Turnus Rotalis coram R. P. D. Teodori hoc edidit decretum: « Visis memorialibus DD. Patronorum utriusque partis; visis votis sive R. D. Promotoris iustitiae sive R. D. Vinculi Defensoris; considerato quod, prout eruitur ex documento « G »

mensis maii 1942, D.na Maria exhibuit instantiam Tribunali civili pro exsecutione sententiae quam tulerat Tribunal ecclesiasticum in causa separationis, non vero D.nus Josephus, qui citatus apparuit in iudicio civili, coram quo suas dixit rationes; considerato praescripto can. 1554 et 1628 C. J. C.; statuerunt: 1) D.num Josephus neque amisisse ius agendi in foro ecclesiastico neque excludendum esse ab agendo; 2) causam nullitatis esse definiendam et quamprimum ante alteram separationis ».

Ab hoc decreto seu ab hoc sententia interlocutoria infelix mulier appellavit ad Turnum sequentem. Quoniam autem causa interea ambitum tam magnum nacta erat, ut non amplius paucis verbis definiri posset, Ponens novi Turni proposuit causam per formalem sententiam decidere, ideoque, nemine opponente, intervenientibus Promotore iustitiae et Defensore Vinculi die 16 februarii 1952 inter patronos partium concordata sunt haec tria dubia discutienda:

I. « An appellatio contra decretum Rotale diei 17 martii 1950 admittenda sit, in casu »; et quatenus affirmative:

II. « An Josephus amiserit ius agendi in foro ecclesiastico, ad normam can. 1554, tum in causa separationis et alimentorum, tum in causa nullitatis matrimonii; vel excludi deberet, in utroque casu, ad normam can. 1628, § 3 ».

III. « An causa separationis et alimentorum adhuc pendens sit, in casu ». Ad haec proinde dubia hodie Nobis respondendum est.

De primo dubio

8. In Jure. - Normae S. R. Rotae Tribunalis de incitentibus in art. 110 statuunt: « Cum Turnus admittit quaestionem (incidentem) solvendam esse ante causam principalem, pro diversa rei natura statuit quaestionem solvendam esse, aut servata forma iudicii per interlocutoriam sententiam, aut non servata forma iudicii per merum decretum ». Et in sequenti art. 111 declaratur, quid intelligendum sit sub verbis « *servata forma iudicii* ». Etenim ibi legimus: « Si quaestio incidens solvi debent iudicii forma servata, ideoque *cum dubiorum propositione...* ». De appellatione autem contra decretum Turni vel contra sententiam interlocutoriam Normae hoc disponunt in art. 114, § 1: « Contra decretum Turni de quaestione incidentali statuens, itemque contra sententiam interlocutoriam quae non habeant vim definitivae, non datur appellatio, nisi haec cumuletur cum appellatione a sententia definitiva ». Quare contra sententiam interlocutoriam, quae habeat *vim definitivae*, appellatio admittitur. Eiusmodi autem sententia tunc habet vim definitivae

« si damnum causat quod per sententiam definitivam reparari non possit, aut si talis, ut efficiatur definitivam sententiam necessario determinato quodam sensu esse pronuntiandam » (Wernz-Vidal, *Jus can.*, tom. VI, n. 606, 6°). Quamvis Turnus *a quo* suam decisionem vocaverit *decretum*, et quamvis patroni quoque partium in dubiis propositis et concordatis adhibuerint vocem decreti, tamen de facto agitur in casu de vera *sententia interlocutoria*, sicuti infra (n. 10) demonstrabimus.

Ubi agunt de appellatione a sententia Rotali definitiva, Normae has statuunt regulas: Art. 154: « A sententia Rotali definitiva datur appellatio ad Turnum proxime sequentem, ad normam canonum 1879, 1880 ». Et art. 159 disponit: « § 1. - Si oriatur quaestio de iure appellandi, decisio quaestionis devolvitur Turno, ad quem spectat appellationis iudicium. § 2. - Decisiones hanc quaestionem definientes sunt inappellabiles, salvo tamen recursu ad Signaturam Apostolicam ».

9. - Hunc postremum articulum patroni conventi audacter applicant decretis et sententiis interlocutoriis, quasi appellatio ab hisce decisionibus unice regeretur articulo 159. At inutiliter satagunt ut evanescant ex mente Judicum dispositiones de appellationibus a sententiis interlocutoriis.

10. In Facto. - Ante omnia dicendum est agi in casu de vera *sententia interlocutoria;* nam ante decisionem a Turno *a quo* latam, seu die 31 ianuarii 1949, concordatum est dubium: « Utrum D.nus Josephus amiserit ius agendi in foro ecclesiastico ad normam can. 1554, vel excludi debeat ab agendo ad normam can. 1628, § 3 »; *servata* proinde est *forma iudicii*. Et Turnus, ad dubium propositum respondens, declaravit conventum non amisisse ius agendi in foro ecclesiastico, atque causam nullitatis esse definiendam ante alteram separationis. Ergo Turnus admisit conventum ad prosequendam causam separationis, seu potius alimentorum, etsi Tribunal patriarchale decreverat sententiam a se latam transiisse in rem iudicatam, et etsi mulier ante decisionem Turni expilcite promoverat obiectionem rei iudicatae, ad quam tamen obiectionem Turnus appellatus non respondit in sua decisione. Cum igitur mulier privata fuerit iure ad alimenta, ei a Tribunali patriarchali attributo, patet sententiam interlocutoriam in casu habere *vim definitivae*, quamobrem appellationem contra illam sententiam a priori reiici non posse.

11. - Ceterum actricis patroni iuxta rei veritatem ad rem declararunt: « Affirmamus et confirmamus nos non excitavisse quaestio-

nem de iure appellandi, sed magis amplam quaestionem de amisso iure agendi vel de exclusione ab agendo; affirmamus decretum Rotale appellatum non quaestionem de iure appellandi, sed alteram magis amplam, prout evidens est, suo modo solvisse ».

Et Promotor iustitiae de appellatione a patronis actricis promota scribit in suis Animadversionibus: « Laetati sumus de hoc interposito gravamine ne cogeremur quasi supplere privatae partis omissionem, licet ipsum ius publicum Promotoris iustitiae appellationem omnino permitteret et iustificaret, si opus fuisset ». Promotor igitur appellat *per adhaesionem*, sicuti ipse explicite dicit. De merito autem causae appellatae inter alia animadvertit: « In casu mala viri voluntas in aperto est, itemque eius malum ius. Sollertes diligentesque mulieris patroni *ex officio* hoc invicte enucleant ».

Ideo Patres de turno praesenti declarant appellationem contra sententiam interlocutoriam diei 17 martii 1950 admittendam esse, in casu.

De secundo dubio

12. In Jure. - « Tempore medii aevi — legimus apud Wernz-Vidal, *Jus can.* tom. VI, n. 25 — Ecclesia paulatim in non paucas causas, propter connexionem cum rebus religiosis, suam iurisdictionem extendit, quae ex natura sua potius foro saeculari sunt propriae, v. g. in causis matrimonialibus quaestiones incidentes de dote vel de alimentis... Quae extensio iurisdictionis ecclesiasticae in causas non mere ecclesiasticas, licet usurpatio minime dici possit, sed... legitime facta sit, tamen sua quoque habuit incommoda... Nihilominus legislatio canonica iuris Decretalium quoad substantiam est conservata, et in ipso Concilio Tridentino leges latae sunt de obiectis, quae res mere spirituales dici non possunt ». Et de disciplina vigente idem cl. Auctor exponit: « Judex ecclesiasticus non est competens in causis laicorum, quibus principaliter et directe de re mere temporali, v. g. de causa dotis, alimentorum, et quamvis iurisdictione non careat in causis temporalibus, de quibus incidenter iudicandum est in causa spirituali, v. g. de... dote, alimentis, tamen in praxi illarum causarum definitio iudicio saeculari relinquitur, nisi partes sponte iudices ecclesiasticos tamquam arbitros eligant » (loc. cit., n. 26, n. III).

13. - Causam nostram quod spectat, Coussa (*Epitome Praelect. de iure. eccl. orient.*, Romae 1950, vol. III, n. 2) Nobis tradit: « Statuti Personalis vi, christianorum matrimonia, propria ecclesiastica disciplina reguntur, auctoritate civili annuente, et facultatem Episco-

pis faciente circa quaedam, quae ad mere civiles effectus matrimonii attinent ». Et alibi (loc. cit., n. 27): « Iis in regionibus, in quibus viget *Statutum Personale*, Hierarchae obtinent, ex civilis auctoritatis concessione, quandam potestatem circa mere civiles matrimonii effectus, uti v. g. videre de provisionibus seu praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis et de quantitate pensionis quae coniugi debetur in casu separationis... ». Fori vero ecclesiastici potestas iudicandi de alimentis « *ex civilis auctoritatis concessione* » ita intelligenda vel restringenda est, ut concessio civilis auctoritatis valeat solummodo si directe et principaliter de alimentis iudicandum est, non autem si Ecclesia ob connexionem causae alimentorum cum causa per se spirituali separationis coniugum sententiam fert de alimentis praestandis. In hoc altero casu agitur de causa mixta quoad alimenta, in qua praeventioni locus sit.

Siquidem recte in cit. opere WERNZ-VIDAL (n. 26, n. IV) exponitur: « Ut causa quaedam sensu stricte dici possit mixta, omnino requiritur, ut aut ex natura sua sit temporalis, sed propter adiunctam qualitatem spiritualem etiam subsit iurisdictioni Ecclesiae, aut, licet ex natura sua sit spiritualis, tamen simul sub certo respectu sit temporalis. Qua re fit, ut una eademque causa sub diverso respectu et autoritati ecclesiasticae et potestati civili iure proprio et nativo sit subiecta. Hinc si quando una potestas solummodo competens fit ex concessione vel delegatione alterius, v. g. in iurepatronatus (vel, addimus, in causa separationis coniugum ex concessione Ecclesiae aliquibus Statibus facta), nonnisi sensu lato causa mixta habetur. Qua distinctione statuta facile patet, non raro a canonistis multoque magis a iuristis causas mixtas allegari, quae revera sensu stricte mixtae dici nequeant, cum per se et sine privilegio a sola Ecclesia sint definiendae ».

14. - Accidere potest etiam ut auctoritas ecclesiastica exsecutionem sententiae deferat potestati civili. Id quidem verificatur in causa praesenti. Nam in calce ad sententiam patriarchalem diei 30 aprilis 1942 habetur: « L'usage de notre Tribunal ecclésiastique, appuyé aussi sur le désir de S. B. Mgr le Patriarche, c'est de laisser l'exécution de la sentence à la charge des intéressés. Le pouvoir exécutif civil accepte de s'occuper de l'exécution des sentences ecclésiastiques, comme il agit avec des Tribunaux civils ». Unde patet partes in Palestinensi Patriarchatu Ritus latini (et in non paucis regionibus « Proximi Orientis ») licite a potestate civili potere p-osse exsecutionem sententiarum a Tribunalibus ecclesiasticis latarum.

15. - At verum attentatum contra ius divinum et ius canonicum committitur, si quis aliquam causam mixti fori, iam ad Tribunal ecclesiasticum deductam, et a fortiori, ibi iam decisam, praesumpserit deferre ad forum saeculare ut ibi de novo diiudicetur, vel, quod peius est, ut sententia a Tribunali ecclesiastico lata infirmetur. Statuit nempe can. 1554: « Actor, qui causas mixti fori ad iudicem ecclesiasticum deductas ad forum saeculare iudicandas defert, congruis poenis puniri debet ad normam can. 2222 et privatur iure contra eandem personam de eadem re et de connexis causam agendi in foro ecclesiastico ». In hoc canone utique sermo est de solo *actore*, sed accidere potest ut is, qui apud Tribunal ecclesiasticum erat conventus, in recursu ad forum saeculare fiat actor. « Canonis praescripto — animadvertit Lega (*Commentatius in iud. eccl.*, vol. I, p. 22) — tenet actorem, non *reum;* actoris enim est causas deducere ad iudicem; et reus per citationem seu iussu iudicio comparere cogitur. Adverte tamen quod, si reus causam incidentem deducat ad forum laicum, postquam actor causam principalem deduxerat ad forum ecclesiasticum, poenis tenetur; nam in isto casu reus per causam incidentem uti per reconventionem fit actor ».

16. - Delictum autem — uti iam diximus — fit adhuc gravius, si qua pars post sententiam a Tribunali ecclesiastico latem apud Tribunal saeculare accusat illam sententiam de nullitate ed iniustitia, ut exsecutionem sententiae impediat; siquidem tunc agitur de aperto delicto contra auctoritatem Ecclesiae. Ad rem disponit can. 2334: « Excommunicatione *latae sententiae* speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur: 2° Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem ».

Attamen ne excommunicati quidem impediuntur a causis ob bonum salutis animae introducendis vel prosequendis. Statuit quidem can. 1628, § 3: « Exceptio excommunicationis opponi potest in quolibet iudicii statu et gradu, dummodo ante sententiam definitivam; imo si agatur de excemmunicatis vitandis, aut toleratis contra quos sententia condemnatoria vel declaratoria lata fuerit, ii ex officio semper excludi debent ». Inde vero sequitur excommunicatos toleratos, qui quidem poenam excommunicationis latae sententiae incurrerunt, quin tamen tribunal collegiale trium iudicum sententiam declaratoriam tulerit (cfr. can. 1576, § 1, n. 1°, ex officio excludendos non esse ab agendo in iudicio. Insuper absolute *omnes* excommunicati, « ad quodvis animae suae praeiudicium avertendum », in iudicio agere possunt « per procuratorem », si

lata fuerit sententia declaratoria vel condemnatoria (can. 1654, § 1); « alii excommunicati generatim stare in iudicio queunt » (cit. can., § 2), ergo etiam per semetipsos. Quare ad obtinendam declarationem nullitatis matrimonii excommunicati, post latam sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, per procuratorem agere possunt; secus, seu nulla sententia declaratoria vel condemnatoria lata, etiam per semetipsos.

17. *In facto.* - Imprimis dicendum est causam ipsius separationis omnino seponendam esse. Etenim mulier anno 1940, iuxta consilium Tribunalis ecclesiastici primae instantiae, paratam sese declaraverat ad reconciliationem cum viro perficiendam. Vir vero — sicuti in specie facti, n. 2, dictum est et ex documentis publicis deducitur — uxorem non amplius admittere voluit ad vitae consortium, et etiam intercessionem Tribunalis ecclesiastici et commendationem ipsius Patriarchae reiecit. Causa vero separationis ab utraque parte deserta est, sed remansit separatio de facto instituta. Tum mulier adiit Tribunalia ecclesiastica ad obtinenda alimenta. Et reapse totalis vertitur circa haec alimenta.

18. - Contra sententiam a Tribunali patriarchali die 30 aprilis 1942 latam circa alimenta a convento uxori praebenda (supra n. 2), cui sententiae additum est decretum de provisoria exsecutione decisionis (supra n. 3), conventus appellavit quidem ad Tribunal superius idest Pontificium, at hanc suam appellationem prosecutus non est. Ante lapsum termini fatalis Tribunal *a quo* litteris diei 26 maii 1942 conventum docuit de modo prosequendi appellationem. Nam ei scripsit: « Ce Tribunal... vous a fait savoir qu'en raison des circonstances qui rendent l'acheminement de la correspondence difficile, il transmettrait lui-même votre demande d'appel au Tribunal supérieur; mais vous devez savoir que c'est la sentence même qui vous a été remise qui doit être transmise, conformément au canon 1884, § 1; vous êtes donc prié de déposer cette sentence à la chancellerie du patriarcat latin *en preuve de votre volonté de poursuivre l'appel;* vous devez indiquer sur cette même sentence que vous an appelez au Tribunal supérieur ». Quo monito accepto, conventus cum suo patrono inspexit acta causae apud Tribunal patriarchale. Sed conventus tantum aberat ut prosequetur appellationem, ut suam appellationem apud Tribunal civile die 13 maii iam introductam prosequi maluerit. Demum post reiectionem suae appellationis a duabus instantiis Tribunalis civilis pronuntiatam, conventus praesumpsit redire ad Tribunal patriarchale ut suam legitimam appellationem prosequeretur. Verum tunc Tribunal pa-

triarchale die 7 novembris 1942 decrevit appellationem fuisse desertam et sententiam illam in rem iudicatam transiisse ideoque exsecutioni mandandam esse; ceteroquin idem Tribunal, statuens exsecutionem provisoriam, iam die 30 aprilis 1942 providerat de sustentatione mulieris, cui vir noluerat reconciliari.

Equidem verum est de hoc transitu sententiae patriarchalis in rem iudicatam non agi in sententia interlocutoria Rotali appellata, quamobrem supra allata solummodo valorem prooemii tractatus sequentis de can. 1554 relate ad causam alimentorum habent, eo nempe sensu, ut ostendatur prorsus supervacaneum fuisse disputare de citato canone.

19. - Patres appellati in sua sententia interlocutoria exposuerunt: « ... considerato quod, prout eruitur ex documento « C » mensis maii 1942, D.na Maria exhibuit instantiam Tribunali civili pro exsecutione sententiae quam tulerat Tribunal ecclesiasticum in causa separationis, non vero D.nus Josephus, qui citatus apparuit in iudicio civili coram quo suas dixit rationes ». Non immerito actricis patroni in suo memoriali scribunt: « Si Patres Turni praecedentis illud documentum « C » melius considerassent, et certo si sub oculis habuissent acta quae nunc in Summario typis edita sunt, clare cognovissent usus qui in plurimis Orientis regionibus invalescit, inter quas est Palestina, quem usum tam bene illustrat nota in calce sententiae die 30 aprilis 1942 a Tribunali Patriarchatus Latini Hierosolymitani latae ». Sane ex hac nota, sententiae illi adiecta et supra (n. 14) relata, apparet usus, a Tribunali Hierosolymitano adhibitus et a Patriarcha approbatus, deferendi exsecutionem sententiarum a Tribunali ecclesiastico latarum ad auctoritatem civilem. Id praesertim tunc observatur quando agitur de re temporali, utpote cum re spirituali connexa, uti in casu, de alimentis praestandis. Tribunal patriarchale iuxta hunc usum egit; siquidem legimus in fine sententiae de qua agitur: « Notifica della sentenza fu fatta ad ambo le parti e all'*Officiale dell'Ufficio Esecutivo Civile* per essere eseguita, perchè è divenuta definitiva, e la sentenza è stata consegnata al creditore per sentenza, per l'esecuzione, qualora ce ne fosse bisogno, in conformità alla legge ». Ergo ipsum Tribunal patriarchale exsecutionem suae sententiae detulit ad Ufficium Exsecutivum auctoritatis civilis, non autem actrix, sicuti Patres appellati autumarunt.

20. - Patres appellati insuper in sua decisione de convento declarant, quod « citatus apparuit in iudicio civili coram quo suas dixit rationes »; aliis verbis, eum purgant de delicto contra iu-

risdictionem ecclesiasticam commisso. Sed constat contrarium. Nam in ipso documento « C », a Patribus apellatis citato et interea ex Anglico in Latinum sermonem verso, legimus: « Considerando che detto giudizio è sbagliato in iure e in facto, prego che la sua esecuzione sia rifiutata per i seguenti motivi:

1° Il tribunale, che ha emesso giudizio in favore del creditore in iudicio, non aveva alcuna giurisdizione.

2° Il tribunale era costituito illegalmente.

3° La procedura dinanzi ad esso è nulla ed invalida.

4° Il giudizio stesso è contrario alla giustizia naturale ».

Jamvero evidens est conventum, esto per interpositam personam sui advocati, sic agendo apud auctoritatem civilem contra sententiam Tribunalis ecclesiastici, verum attentatum contra ius divinum et ius canonicum commisisse, atque iuxta can. 1554 supra (n. 15) citatum « privari iure contra eandem personam in eadem re et de connexis agendi in foro ecclesiastico ». Etsi igitur abstrahatur a circumstantia, quod sententia Tribunalis patriarchalis iam dudum in rem iudicatam transierit, tamen conventus nullum amplius habet ius de novo tractandi quaestionem de alimentis in iudicio ecclesiastico. Si conventus apud auctoritatem civilem solummodo exposuisset suas difficultates statim solvendi totam summam alimentorum, res fuisset totaliter alia; at Tribunal patriarchale arguere de incompetentia et de defectu iurisdictionis atque sententiam ipsam de iniustitia, est delictum adeo certum, ut ipsi patroni conventi suum clientem reprobare coacti sint.

21. - Quod autem spectat quaestionem, an conventus, si non vi can. 1554, sed vi can. 1628, § 3, excludendus sit a prosequenda actione alimentorum, superfluum est discutere hunc novum titulum exclusionis conventi ab agendo, quoniam nimis clarum iam est eum non amplius posse agere causam *alimentorum*. Verum ad normam citati canonis excludendus non est a prosequenda causa *nullitatis matrimonii*. Sicuti enim in disputatione iuris expositum est, absolute omnes excommunicati, ad quodvis animae suae praeiudicium avertendum, in iudicio agere possunt per procuratorem, si lata fuerit sententia declaratoria vel condemnatoria, et etiam per semetipsos, si adhuc nulla sententia declaratoria vel condemnatoria lata fuerit. Conventus utique incurrit excommunicationem, de qua can. 2334 (cfr. supra n. 16), at quoad sciamus nulla lata est sententia declaratoria vel condemnatoria, ideoque etiam per semetipsum conventus de novo agere valet in iudicio. Dubitari quidem debet, utrum conventus reapse « ad animae suae praeiudicium avertendum » causam nullitatis introduxerit, an potius ad pro-

crastinandam solutionem alimentorum. Quidquid sit, conventus appellationem suam contra sententiam primae instantiae, nullitatem matrimonii accusati denegantem, prosequi poterit. Saltem practice neque vi can. 1554 conventus prohibetur, quominus utcumque culpabilis, pergat in promovenda causa nullitatis matrimonii. Supponitur autem Judices futuros ante omnia curaturos esse, ut vir conventus solvat quotas nondum solutas alimentorum.

De tertio dubio

Responsio ad tertium dubium est merum consectarium ex supra expositis, videlicet: Causa separationis, utpote ab ipsis partibus deserta, non amplius pendes est; neque causa alimentorum, sicuti fuse demonstratum est.

Quod denique ad postulatum actricis attinet, quo a Nobis petit incrementum summae a convento sub titulo alimentorum solvendae, actrix instantiam suam facere debet coram Tribunali patriarchali, quod summam alimentorum determinavit.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno etc. definitive sententiamus, sic ad dubia proposita respondentes:

Ad I. « *Affirmative, seu appellationem contra decretum Rotale diei 17 martii 1950 admittendam esse, in casu* ».

Ad II. « *Seposita causa Separationis a partibus deserta, Josephum amisisse ius agendi in foro ecclesiastico, ad normam can. 1554, in causa Alimentorum, sed non in causa Nullitatis matrimonii; eum vero a iure agendi in dictis causis non excludi debere vi can. 1628, § 3* ».

Ad III. « *Negative, seu causam Separationis et Alimentorum non amplius pendentem esse, in casu* ».

Conventum, insuper, condemnamus ad solvendas expensas iudicii.

Arcturus Wynen, *Ponens*
Guillelmus Heard
Albertus Canestri

Coram R. P. D. Francisco Brennan, *Ponente*

Nullitatis Matrimonii

Species facti: 1) Franciscus X. et Dominica Y., eandem domum incolentes, inde ab anno 1930 amicitiam primum, dein sponsalitiam conversationem nexuerunt. Amore aestuans, Franciscus, occasione cuiusdam voluptuariae deambulationis, Dominicam defloravit. Cum puella adhuc in minori versaretur aetate, Franciscus, ne patrati flagitii poenam lueret, eandem in uxorem duxit die 2 augusti 1931. Tunc temporis Franciscus 23 annos agebat, sponsa vero decimum septimum attigerat.

Dum sponsi coram parocho sistebant, Franciscus sacerdoti interroganti an ipse Dominicam ducere vellet iuxta Sanctae Matris Ecclesia jussa, bis negativum dedit responsum. Tumultu in ecclesia inde ingravescente, nupturientes una cum parocho, testibus aliisque, in sacrarium sese receperunt, ubi tandem aliquando Franciscus ad normam juris consensum protulit.

Vitae communitas haud diuturna extitit; paucis enim elapsis mensibus, consuetudinem intercepit separatio, instituta a viro ob uxoris infidelitatem. Die vero 13 octobris 1939 vir Tribunal ecclesiasticum eius Dioeces. adivit, suum accusans nullitatis matrimonium ex duplici capite: ob vim nempe et metum, atque ob simulationem consensus ex parte mulieris.

Causa sufficienter instructa, sententia est lata negativa. Eadem sententia statuebat non constare de matrimonii nullitate ex vi et metu; quod attinet ad alterum caput, nihil erui potuisse ex actis processualibus edicebat.

Actor, suo jure fretus, ad Tribunal Vicariatus Urbis provocavit. Supplementum instructoriae peractum fuit, et praecedentibus dubiis etiam caput simulationis ex parte viri adiectum. Die 7 januarii 1949 sententia prodiit, actoris iterum placitis adversa. Franciscus ad Tribunal Sacrae Romanae Rotae appellavit, petens ut in secunda instantia disceptaretur de capite simulationis consensus ex parte viri. In appellationis tamen actu, sententiam Neapolitanam nullitatis vitio carpere sategit, ex eo quod (juxta ipsum) neque testes neque partes interrogati fuissent circa simulationis caput ex parte mulieris. Oborto dein dubio quod asserta nullitas sententiae Neapolitanae secumferret etiam nullitatem sententiae Vic. Urbis, indeque flueret idem simulationis caput in prima instantia coram H. S. T. tractatum iri, a Santissimo impetrata obtentaque fuit facultas videndi de hac re etiam in prima instantia.

Denique expetitum est ut admitteretur appellatio quoad caput

vis et metus ac simulationis ex parte mulieris, si de nullitate sententiarum primi et secundi gradus non constaret.

Tria igitur concordata sunt dubia:

1) An constet de nullitate sententiarum (primi et secundi gradus), quod attinet ad iudicium de simulatione consensus ex parte mulieris conventae in casu;

2)An admitti possit appellatio ad S. R. Rotam quod attinet ad iudicium de simulatione consensus ex parte mulieris et de vi et metu, nonobstante duplici sententia conformi;

3) An constet de nullitate matrimonii in casu ex capite simulationis consensus ex parte viri necnon ex parte mulieris et vis et metus viro incussi.

His dubiis hodie respondendum est.

IN JURE. - I. *De nullitate sententiarum primi et secundi gradus.*

2) Can. 1619 par. 1 statuit: « Si actor pro re sua probationes quas afferre posset, non afferat... judex ne suppleat », et par. 2: « Si vero agatur de publico bono vel de animarum salute, eas supplere potest et debet ». Quod in canone sub par. 1 edicitur, scil. actoris esse afferre probationes, non vero judicis, in eo nititur quod « inter actorem et reum, iudicis officium est ius dicere seu jus applicare facto legitime comprobato ». « Ast canonis 1619 par. 2 huius regulae ponit exceptionem, statuens, ubi in causa sit vel bonum publicum vel salus animarum, judicem posse et aliquando debere suum interponere officium ad supplendas vel probationes non allatas vel exceptiones non appositas, quia, uti supra advertimus, in his interest rei publicae aut salutis animarum ut veritas detegatur... Iudex dum ex officio agit supplens quod ab uno vel altero contendente praetermittitur vel negligitur, unius vel alterius contendentis partes interim assumit » (Lega-Bartoccetti, *Commentarius in Judicia Ecclesiastica*, vol. 1, p. 235 n. 6 ed. 1950).

Lex tamen nullam inducit irritationem (cfr. can. 11), sed tantum obligationem decernit ex parte judicis supplendi probationes, si praesto sint nec afferantur a partibus. Docet Exc.mus F. Roberti, *De Processibus*, Romae 1941, vol. 1 n. 179: « Violatio principii inquisitorii generaliter non efficit actus nullos ». Si probationes omnino desint, nulla obligatione, uti patet, tenetur judex; nec eas peculiari diligentia inquirere, si ignorentur. Immo, licet negligenter se gesserit, probationes non supplendo quas facile invenire posset, sententia, inde lata, non esset nulla, quia nullibi jus comminari videtur hanc irritationem.

In Facto: 3) Ad simulationem quod attinet ex parte mulieris, haec habet sententia Tribunalis Neapolitani: « Quod attinet ad secundum caput contestationis litis, scil. ad consensum simulatum Dominicae, nihil eruitur ex actis processualibus. Ipsa Dominica, licet legitime citata, numquam intervenit ad deponendum, unde declarata fuit contumax. Desunt testes qui hoc deposuerunt; non invenitur in actis necessaria causa, ex qua potest argui consensum eius fuisse simulatum, imo potius aliquae circumstantiae faciunt arguere contrarium. Nam Dominica Y. exoptabat hoc matrimonium, acceptavit amorem Francisci X., ad vitandas dissensiones cum matre Francisci, contraria tali matrimonio, cum propria familia mutavit domicilium, non se opposuit deflorationi, die matrimonii ad primam responsionem Francisci « No », clamitavit et cecidit animo: quae omnia suadent non solum non adesse necessariam causam pro simulatione consensus, sed potius ipsam voluisse matrimonium ». In altera instantia, Tribunali die 5. 12. 46 conventa scripsit: « ... sono stata sempre contraria a questo annullamento di matrimonio, fin da quando il sig. X. si rivolgeva alla Curia di Napoli, *dove dovrebbero risultare come stanno realmente i fatti e non le falsità che sono state dedotte* ». Nihil inde deducere fas est in favorem simulati consensus ex parte mulieris.

In altero iurisdictionis gradu, instructoriae supplementum confectum est ad voluntatem intentionemque conventae explorandam in consensu eliciendo, at nihil erui potuit quoad hoc accusationis caput.

Solummodo in tertia instantia coram H. S. T. testis inducta est, scilicet, m. quae asserit se, quatuor a matrimonio iam elapsis hebdomadibus, directe ab ipsa conventa scivisse: « io non sto con mio marito perchè io ho sposato l'X. unicamente per avere un nome ».

Ex relatis scatet in sententia primi gradus non deesse sermonem de simulatione consensus mulieris, et non tantum in dubio concordato et in parte in iure, verum etiam, licet brevissime, in facto. Et ratio est quia cum iudices vidissent allata non fuisse, in actis causae et in Restrictu, argumenta pro nullitate ex hoc capite, satis retinuerunt asserere de eodem nihil erui posse In parte dispositiva vero decisio generalis habetur, quae respicit integrum dubium concordatum. Si iudex probationes quae desiderabantur non curavit supplendas, non exinde sententiae prolatae nullitas consequitur. Non ideo constat de nullitate sententiarum primi et secundi gradus iurisdictionis.

II. - *De appellatione admittenda quoad caput vis et metus et simulationis ex parte mulieris, non obstante duplici sententia conformi.*

In jure et in facto:

4. - Cum sententia primi gradus nullitate minime laboret, cumque ideo nec sententia secundae instantiae irrita sit, post duplicem decisionem conformem pro vinculo, non datur appellatio, sed ad normam can. 1903 et 1989 ulterior causae propositio tunc solummodo admitti potest, quando nova et gravia argumenta proferuntur vel documenta.

In casu autem allata non sunt necessaria, nova eademque gravia argumenta vel documenta.

III. - *De simulatione consensus ex parte viri.*

In jure.

5. - Attentis his quae dicta sunt de primo et de secundo dubio, videndum superest tantummodo de asserta simulatione consensus ex parte viri.

Si alteruter vel uterque contrahens positive excludat matrimonium ipsum aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam proprietatem, invalide coniugium init (can. 1086, 2), ob consensus defectum sine quo matrimonium non contrahitur. Internus tamen animi consensus « semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis » (can. 1086, § 1). Haec autem praesumptio nonnisi concludentibus probationibus cedit.

Ad simulationem probandam imprimis attendenda est confessio simulantis, qua deficiente probatio, etsi non impossibilis, difficilior fit.

Nam « cum dissensus in corde lateat, via ad eum probandum aperitur per affirmationem eius qui dicitur consensum simulasse: sive agatur de assertione coram iudice peracta, sive... de declaratione extra iudicium data et iudicialiter comprobata » (c. Jullien, Vindobonen. N. M., diei 23 iunii 1938, S. R. R. Dec., vol. XXX, p. 344).

Partis tamen assertio de sua simulatione non sufficit. Confirmanda est depositionibus testium fide dignis, comprobata urgenti et proportionata causa simulandi, et circumstantiis antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus. Praesertim consideranda est ratio qua simulans se gessit sive ante sive post nuptias; haud enim

creditur ei qui verbis asserit se ficte consensisse, factis tamen ut verus coniux sese gessit.

In Facto: 6. - Nullum prostat argumentum vel partium testiumve depositio, quae actoris ostendat intentionem ante matrimonium manifestatam simulate coniugium ineundi. Ecclesiam ingressus est Franciscus cum intentione contrahendi matrimonium, esto sub metu qui ex iusta causa incussus fuit.

Affirmat enim: « Io mi ero indotto ad arrivare fino a quel punto perchè il Procuratore del Re aveva minacciato di arrestarmi... Mi indussi dunque a celebrare sperando che sarebbe andato bene ». Si deinde recusavit consensum, hoc factum est quia paulo antea audiverat sponsam dicentem « che lei teneva soltanto al nome ».

Et alibi: « mentre stavamo all'altare, la signorina sottovoce mi disse queste parole: Finalmente siamo giunti a quello che io cercavo, solo il nome, e poi facciamo ognuno il suo comodo. Queste parole furono male (sic), ed allora io mi ostinai a non sposarla più, perchè non aveva volontà ».

Simulatio igitur, si umquam extitit, ex duplici causa fluere potuit: ex metu, vel ex verbis quae, uti actor tradit, Dominica protulisset matrimoniali ritu instante.

Prima autem causa respuenda est, cum duplici constet conformi sententia in casu abesse aversionem actoris erga conventam; ceterum ne actor quidem metum habet tamquam decisivum argumentum simulati consensus.

Ad secundam vero quod attinet, haec notanda veniunt: verum est actorem asserere se, ob malam Dominicae voluntatem, primum denegasse consensum; deinde autem, ubi illum proferre ratus est, eundem simulasse. Attamen, rite omnibus perpensis, ne certo quidem constat conventam verba nuper relata protulisse. Mulier, enim, indirecte saltem, id omnino negat: « ... sono stata sempre contraria a questo annullamento di matrimonio, fin da quando il signor Francesco X. si rivolgeva alla Curia di Napoli, dove dovrebbero risultare come stanno veramente i fatti e non le falsità che sono state edotte ». Sin autem haec verba revera prolata fuerunt, potuisset actor nuptiis valedicere, et denegatum consensum iustificare pandendo parocho intentionem conventae.

Cum hoc non fecerit, novum prostat indicium conventam ea verba non protulisse, vel, sin minus, actorem eadem flocci fecisse.

Idem actor in sua depositione, potius quam de simulatione, loquitur de haesitatione in actu exprimendi consensum, deque verbis sponsae eiusque patris procrastinatam conviventiam spondentibus: « Manifestavo questa mia volontà di non sposarla sottovoce nella

chiesa stessa, sia a lei che al padre ed essi mi rispondevano che potevo sposare rimandando a più tardi la nostra convivenza ».

Inde conclusio necessario fluit, ex neutro capite congrua evinci probatione assertam simulationem.

Nec simulatio habetur in eo quod, paucis elapsis horis, actor suam fecit intentionem mulieris divertendi post nuptias: non agebatur enim nisi de voluntate vivendi cum plena libertate: « ma si convenne che ognuno dei due, celebrate le nozze, sarebbe andato per i fatti propri ». Autumat actor, in interrogatorio diei 16 martii 1948, verba haec ita interpretanda esse: « Intendevamo che ognuno doveva riprendere la propria libertà, come se il matrimonio non fosse mai celebrato ». Hanc interpretationem tamen nonnisi serius aperuit, dum in prima excussione fassus erat se Dominican duxisse, tum metu poenae luendae ob seductionem puellae minoris aetatis, tum « dalle promesse che mi faceva il padre di lei, il quale si impegnava di fare il mobilio di casa, e di aiutarmi magari al principio della nostra vita coniugale ».

7. - Vita communis diu haud duravit: saltem id videtur ex actis erui: nihil tamen eorum quae post nuptias evenerunt assertam simulationem quoquomodo suadet. Celebrato enim coniugio, nupturientes domum sponsae adierunt: « dove facemmo il pranzo ». Cohabitatio sub eodem tecto statim instaurata non fuit, attamen « ogni giorno - asserit Franciscus - io andavo a trovare mia moglie alla casa paterna ».

Sponsa instante: « Ella mi faceva capire che in casa non la trattavano bene, perchè, essendo sposata, desideravano che avesse fatto casa a sè ». Franciscus cubiculum obtinuit in eadem domo quam incolebat eiusdem familia. Locato cubiculo et communitate vitae instaurata, coniugalibus muniis partes operam dederunt. « Dal principio — pergit actor — la nostra vita trascorreva tranquilla, senonchè più tardi incominciarono a sorgere delle divergenze tra mia madre e mia moglie ». Ea de causa novum cubiculum in « Via del Purgatorio di Poggio Reale » locavit, ibique communio thori, tectus et mensae instituta est, nec cessavit nisi postquam Franciscus, de adulterinis commerciis uxoris certior factus, eam deseruit, non amplius reversurus.

Verum est Franciscum in altera iudiciali excussione a nuper citatis dissentire: « Per un mese — a die celebrationis matrimonii — non ci vedemmo e non sapemmo niente l'uno dell'altro. Passato un mese, venne a cercarmi un certo Gianni, ch'era un gerarca fascista ed era l'amante di mia suocera. Egli mi esortò a stabilire la convivenza, altrimenti avrebbe agito fascisticamente »; veritati tamen

haec non videntur respondere, uti apparet ex eius matris depositione.

Haec enim nullam coactionem, die 29 aprilis 1942, fassa est: « Contratto il matrimonio, io, persuasa da persone, specialmente del vicinato, e dal fatto compiuto, non potetti fare che di necessità virtù. Sempre affezionata a mio figlio, sebbene con sacrificio, gli fittai una stanza nel mio palazzo, che arredai alla meglio ed ivi dopo qualche mese dal matrimonio vennero ad abitare i coniugi ».

Ceterum ipse Franciscus in eadem depositione a supra relatis dissonat asserens: « *Io, avendo accettato il matrimonio e la convivenza*, mantenni i miei doveri di marito », dum eius frater, Marius, palam ostendit quod actor «... *cercò di propria iniziativa d'instaurare la vita coniugale* ».

Inde apparet quod actor, praeter quamlibet coactionem, *vitam communem voluit eamque habuit veluti officium necessario dimanans a legitimis nuptiis.*

Si post plures menses pacificae cohabitationis Franciscus deseruit uxorem, id egit non quia deficeret animus maritalis, sed ob mulieris infidelitatem: non certe apertissimas expectavisset inhonestae vitae Dominicae probationes, ut eam desereret, si revera consensum ficte praebuisset.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos, infrascripti Patres, Auditores de turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, respondemus propositis dubiis:

ad I: Negative *seu non constare de nullitate sententiarum primi et secundi gradus, quod attinet ad iudicium de simulatione consensus ex parte mulieris;*

ad II: Negative *seu non esse admittendam appellationem quoad iudicium de simulatione consensus ex parte mulieris et de vi et metu;*

ad III: Negative *seu non constare de nullitate matrimonii in casu.*

Romae, in Sede S. Tribunalis S. R. Rotae, die 28 maii 1953.

(sign.) Franciscus Brennan - *Ponens*
Dinus Staffa
Josephus Pasquazi
Hugo Felice - *Not.*

TRIBUNAL APPELLATIONIS VICARIATUS URBIS

Neapolitana

Nullitatis Matrimonii

(ex invalido mandato procuratorio)

(N. N.)

In Iure.

2. Ad matrimonii validitatem requiritur tum consensus partium quae habiles sint ad illud contrahendum, quam forma canonica ab Ecclesia praescripta.

Consensus autem potest esse vel actualis, quando quis hic et nunc consensum promit; vel virtualis, quando quis consensum actualem promit nec unquam postea retractat in ordine ad matrimonium dein celebrandum per se vel per procuratorem. Qui enim speciale mandatum alicui confert ut hic, tamquam eius procurator, matrimonium eiusdem nomine dein contrahat cum certa persona, actualem consensum tunc promit. Qui quidem consensus, si virtualiter perseveret ad momentum usque celebrationis matrimonii, validus ita est ut, cum alterius contrahentis consensu coniunctus, matrimonium faciat.

Attamen in matrimonio per procuratorem contrahendo, praeter formam canonicam pro ipsa celebratione matrimonii ad validitatem juxta cann. 1094 seq. C. J. C. requisitam, servari debent quaedam sollemnitates seu conditiones ad validitatem ipsius actus procuratorii praescriptae.

3. Ante Codicem, ad matrimonium per procuratorem valide contrahendum requirebatur, juxta cap. 11. tit. XIX, lib I in VI°: 'a) quod procurator speciale mandatum haberet; b) quod in mandato determinaretur persona cum qua mandans contrahere volebat; 'c) quod procurator per seipsum mandatum impleret, nisi subdelegandi facultas eidem expresse concessa fuisset; d) quod denique ante matrimonii celebrationem mandans expresse aut tacite mandatum haud revocasset.

At nulla sollemnitas seu conditio requirebatur ad mandatum procuratorium valide conficiendum. Quae enim ad genuinitatem et authenticitatem mandati procuratorii demonstrandam adducebantur, pertinebant tantum ad jus probatorium, non autem ad jus substantiale seu ad ipsam validitatem actus.

4. Aliter vero jure Codicis juxta can. 1089. Ut legenti patet, in citato canone omnia simul inveniuntur quae ad liceitatem, alia vero quae ad validitatem requiruntur.

Ad validitatem haec certe pertinent, quorum altera ad consensum, tamquam ad substantiam actus, altera vero ad sollemnitates seu conditiones sub poena nullitatis requisitas pertinent.

Quoad subtantiam actus requiritur:

1°) Ut mandans conferat mandatum, et quidem speciale ad matrimonium contrahendum cum certa persona: quo quidem mandans suam actualem voluntatem exprimit matrimonium cum eadem persona contrahendi (c. 1089 § 1).

2°) Ut illa voluntas actualis virtualiter perseveret ad momentum usque matrimonii postea celebrandi. Unde « si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint » (can. 1089 § 3).

Etenim sive mandati revocatio sive mandantis amentia interrumpunt eiusdem mandantis actum voluntatis actualis virtualiter perseverantis in ordine ad matrimonium: quae interruptio operatur independenter a cognitione et a voluntate sive alterius compartis sive procuratoris, qui eatenus valide agit quatenus mandans per illum agere velit ac possit.

Per hanc igitur conditionem differt matrimonialis contractus per procuratorem initus ab aliis negotiis juridicis per procuratorem gestis, pro quibus juris regula est: « Actus valet, nisi procurator certior fiat de revocato mandato » juxta textum in cap. 33, tit. III, lib. I in VI° et can. 1664 § 1. Et ratio discriminis est quia in aliis contractibus lex supplet consensum; quod verificari nequit in re matrimoniali, quatenus « consensus matrimonialis nulla humana potestate suppleri valet » (can. 1081 § 1).

5. Ad sollemnitates vero seu conditiones sub poena nullitatis requisitas, requiritur:

1°) Ut mandans ipse subsignet praedictum mandatum simul cum parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus (c. 1089 § 1).

2°) Ut, si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet (can. 1089 § 3).

Re quidem vera subsignatio mandantis ac testium si desit, nullum est matrimonium exinde contractum ad normam c. 1680 § 1, cum eadem subsignatio expresse ac directe cadat sub clausula validitatis initio canonis citati statuta (« ... ut matrimonium per procuratorem *valide* ineatur, requiritur mandatum... *subscriptum*... ») cumque inter sollemnitates seu conditiones sit ideo recensenda

praedicta subsignatio a sacris canonibus requisita sub poena nullitatis completae seu absolutae.

3°) Ut procurator ipse per se munere sibi collato perfungatur (cfr. § 4 cit. can.).

6. Quae igitur ad validitatem mandati procuratorii ad nuptias jure Codicis requiruntur, pertinent ad ipsum jus substantiale, non tantum ad jus probatorium. Unde, ad testes quod attinet, non valet ad analogiam provocare cum praescripto cann. 1094 et seqq., vi quorum ipsa praesentia duorum testium sufficit probe ad validam matrimonii canonicam formam. Etenim in citatis canonibus, aliter ac in can. 1089, minime ad validitatem requiritur testium subscriptio in matrimonii celebrationis actu, sed eorundem praesentia.

Quare matrimonium, quod per procuratorem celebratum fuerit vi mandati quod subscriptione unius testis careat, nullum est nullitate absoluta seu completa et insanabili, quatenus nec per postumam dispensationem neque per ratihabitionem vel sanationem convalidari potest.

Non enim sanatur nisi illud, quod, etsi infirmitate laborans, exsistit tamen; actus autem nullus nec exsistit neque exstit unquam.

Sed neque confirmatione seu ratihabitione convalidari potest, nam vera convalidatio ea est, quae effectum habet retrotractionis: etenim « ratihabitionem retratrahi et mandato non est dubium comparari » (cfr. Reg. 10 in VI°). Porro effectus iste retrotractionis applicari quidem potest actibus rescindibilibus, non vero actibus nullis; neque igitur citata regula juris locum habet quando mandatum ceteris sollemnitatibus praeditum ab initio requiritur sub poena nullitatis. Actus igitur debet de novo integer poni sine defectu, quo antea infitiebatur quique nullitatis causa exsistebat.

7. Verum est quod saepe saepius iurisconsulti et canonistae ac ipsa lex loquuntur de convalidatione vel sanatione actus nulli, sed improprie. Revera agitur de convalidatione seu sanatione, quae effectum habet *ex nunc*, non *ex tunc*.

Quare Codex juris canonici edicit: « Can. 1133 § 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum et consensum *renovet* saltem pars impedimenti conscia ».

« §2. Haec renovatio jure ecclesiastico requiritur *ad validitatem*, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit ».

« Can. 1134. Renovatio consensus debet esse *novus voluntatis actus in matrimonium*, quod constet ab initio nullum fuisse ».

« Can. 1136 § 1. Matrimonium irritum ob defectum consensus

convalidatur, si pars quae non consenserat, *jam consentiat*, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret ».

Can. 1137. Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, *contrahi denuo debet* legitima forma ».

Matrimonii autem in radice sanatio importat quidem eius convalidationem, quae tamen fit a momento concessionis gratiae; habetur etiam, per fictionem juris retrotractio, quae intelligitur facta ad matrimonii initium, attamen limitatur tantum ad canonicos effectus matrimonii. (cfr. can. 1138).

7. Si vero, antequam matrimonium per procuratorem celebretur, comperiatur mandatum procuratorium unius testis subscriptione carere nec facile sit mandatum procuratorium renovare vel res urgeat, nihil impedit quominus S. C. de disciplina Sacramentorum, dummodo omnino constet de mandati procuratorii genuinitate, a praescripta illius testis subsignatione dispenset in casu: agitur enim de sollemnitate ad valorem quidem actus praescripta ab Ecclesiastica Autoritate, quae tamen sicut illam posuit, ita ab illa dispensare potest.

At si matrimonium iam celebratum fuerit cum mandato procuratorio absque unius testis subsignatione atque ideo forma ad validitatem praescripta haud exarato, idem matrimonium invalidum probe est nec dispensatio, si unquam daretur post invalide initum matrimonium, quiddam operaretur. Necesse erit ad sanationem in radice recurrere, si et quatenus id possibile sit ad normam sacrorum canonum, quos supra citavimus.

8. Quid vero, cum mandatum procuratorium exaratur a civili publico notario alioque officiali tali auctoritate praedito secundum regulas juris civilis (cfr. art. 2699 s. C. C. Ital.), sine subscriptione tamen testium, de quibus in can. 1089 C. J. C., quamvis hi praesentes fuerint exarationi mandati procuratorii?

In primis dicendum quod, cum agatur de validitate matrimonii canonici dijudicanda, standum est regulis a Codice canonico non autem a Codice civili statutis quoad matrimonium per procuratorem. Ipsum probe R. D .L. 24 Oct. 1935 n. 2074 (quod conversum fuit in legem d. 16 Martii 1936 n. 578, cum extensionibus R. D. L. 16 Julii 1936 n. 1730 ac legis 10 Februarii 1937 n. 530 et demum legis d. 23 Aprilis 1942 n. 456: quae in art. 111 ss. Cod. Civ. Ital. digesta sunt) in art. 2 cpv. edixit: « la procura sarà redatta secondo *le regole canoniche* dal Cappellano militare addetto all'unità, a cui il mandante trovasi anche temporaneamente assegnato ».

Ceterum, cum mandatum procuratorium munus sibi proprium exserat intra ambitum ecclesiasticae jurisdictionis ut matrimonium per procuratorem celebrari queat, ipsum mandatum minime

cadit sub examine civilis auctoritatis nec transmitti debet a parocho ad Officium Status Civilis, cui pervenire debet actus tantummodo celebrati matrimonii, ad normam art. 8 cap. II Legis matrimonialis d. 27 Maij 1929 n. 847.

Quare in hypothesi supra exposita, quamvis documentum notarile et publicum sit (cfr. can. 1813 § 2) et genuinum (cfr. c. 1814) atque fidem faciat de iis, quae directe et principaliter in eodem affirmatur (cfr. can. 1816), carentis tamen subscriptione testium, ad normam can. 1089 ad validitatem actus requisita, ipsum procuratorium mandatum invalidum reddit in foro canonico. Non enim agitur de constabilienda tantummodo authenticitate vel genuinitate mandati procuratorii, sed de ipsa eiusdem mandati validitate. Testium enim subscriptio cum a sacris canonibus requiratur sub poena nullitatis actus, pertinet ad jus substantiale, non autem ad actus genuinitatem ideoque ad merum jus probatorium.

Quare matrimonium, quod ex praedicto defectu nullum in foro canonico declaratum fuerit, et quidem duplici sententia conformi, nullum pariter est etiam quoad effectus civiles post peractam proceduram, de qua — ad Italiam quod attinet — in art. 34 cpv. 4° Concordati Lateranensis, art. 17 Legis applicationis diei 27 Maii 1929 n. 847, nn. 49 et 58 Instructionis S. C. de disciplina Sacramentorum diei 1° Julii — 8 Aug. 1929, Litt. Circul. Tribunalis Signaturae Apost. d. 3 Aug. 1929.

9. Ad liceitatem vero pertinent quae dioecesana statuta desuper forte addita exigunt ad mandatum procuratorium rite conficiendum praeter ea quae a sacris canonibus jure communi requiruntur; quod constat ex ipsa rei natura, cum in Ordinariorum locorum potestate haud sit clausulas irritantes apponere in iis quae ad matrimonii celebrationem pertinent; et confirmatur ex ipsa formula, quam Codex adhibet in praedictis dioecesanis statutis recensendis; quae sane formula nec est irritans, ad mentem can. 11, neque tamquam essentialis conditio haberi potest, ad mentem can. 39.

Itemque quod S. C. de disciplina Sacramentorum Litteris Circularibus d. 1 Maii 1932 n. 11255 inter alia exigit, ut np. mandatum procuratorium sit « vidimato dell'Ordinario del luogo, dove trovasi il mandante », non est ita taxative intelligendum ut aliter confectum, semper tamen ad normam can. 1089, mandatum procuratorium invalidum sit.

Cautelae insuper a parocho adhibendae, ad normam c. 1091, in ipsa matrimonii celebratione per procuratorem, pertinent ad authenticitatem mandati procuratorii comprobandam, non autem ad eiusdem validitatem constituendam.

Florentius Romita, *Ponens*

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE METHODO [1]

De Methodo in Genere

Methodus est ea se gerendi ratio qua servetur ordo in cognitione et actione; unde fit ut hae inter se seiungi non possint sed ita sint disponendae ut actionem praecedat cognitio. Methodus igitur exterior coniungitur cum methodo interiore, ut a qua emanet.

Hac, de qua sermonem instituimus, methodo res in ordinem rediguntur; quin etiam hic eidem vim addit et effectum. Qui ordo, quamvis ad multa ac diversa pertineat, tamen ad unitatem dirigitur seu ad Deum.

Ut autem res ex ordine disponi queant, inest in ipsa methodo certus agendi seu procedendi modus, qui peculiaribus est astrictus rationibus et normis. Hae vero a fonte naturali et supernaturali ducuntur. Inter fontes naturales prior est finis, quo cognitione et actione intendimus; ut is, qui bello armis decertat, omnia ita disponit et ordinat ut victoriam consequatur. Alius fons est ipsa natura rerum, quae sunt in ordinem adducendae. Habenda est quoque ratio traditionis, quam vocant, seu civilis culturae, morum, sapientiae aliorum, quae alium fontem naturalem efficiunt.

In iis quae ordinem naturalem excedunt, praecipuus fons est Revelatio Divina. Sacra enim Theologia, quae est ratio et disciplina eiusdem Revelationis, maxima quadam ubertate normas praebet pro omnibus actibus humanis.

E quocumque autem fonte derivatur, quaedam normae, quas communes dicimus, semper erunt servandae. Hunt autem hae:

Res ante cognoscendae: Antequam incipiamus aliquid agere, oportet rem faciendam cognitam habeamus comprehensamque, utque etiam ipsam actionem et eius adiuncta cogitatione complectamur. Itaque, cum intelligentia alicuius rei semper sit prior, si paroeciam bene vultis moderari, diligenter ea est vobis antea cognoscenda; vel si iuventutem recte instituere est vobis in animo, in singulos, vestrae curae commissos, inquiratis oportet. Ut diem quis fructuose transigat, perpenda sunt antea ea, quae per diem fieri debeant, quemadmodum prudens administrator sumptus ante aestimat. Iamvero methodo magnam attulit utilitatem ea disciplina, qua rationarium alicuius rei statuitur.

---

[1] Ex Litteris Pastoralibus *Il Metodo* ab E.mo Card. Ioseph Siri, Archiepiscopo Ianuensi die 28 Maii 1950 datis Clero Ianuensi. Quas, in epitomen coactas, Carolus Egger, Proc. Gen. Canonicorum Reg. Lateranensium, latine est interpretatus.

Consuescant igitur sacerdotes notiones rerum singularium concipere atque modo certo atque definito, non dubio, non ambiguo, quaelibet cognoscere. Factis enim in vitae actione innitendum est non vanis opinionibus. Ut exemplum afferamus, saepe usurpatur hoc enuntiatum: « Homines dicunt... », quod ex prima fronte diiudicanti persuadere potest multitudinem hominum setius esse locutam; attamen, si sedulius ac diligentius inquiras, haud raro comperies de paucis vel uno agi homine.

Distinguendae res. Non satis est res ante cognitas habere, sed oportet eas distinguamus, quandoquidem distinctio partem efficit cognitionis eamque perficit, utpote qua res in ordinem per gradus redigantur. Hac quippe distinctione res praecipuae ab iis, quae levioris sunt momenti, seiunguntur. Haec discernendi ratio maximam vim addit ipsi methodo atque actionem ad bonum felicemque exitum perducit.

Haec vero summi ponderis est, quod ad tempus attinet; si quis enim ea quae postea agenda sunt, antea exsequitur, omne opus ad irritum cadet.

Praevidendae res. Hoc etiam modo cognitio perficitur, nam ut sit absoluta, ea quae futura sunt, oportet prospiciat. Cum autem haec plane provideri nequeant, est saltem *inductio* adhibenda.

Dividendae res. Postquam satis innotuit quid initio esset agendum, actio est dividenda. Quae enim conglobata sunt, saepe uno actu non possunt expediri, sed singillatim ex ordine debent tractari.

Distribuendae res. Distribuere nequaquam idem valet ac dividere, cum haec eidem verbo subiciatur vis ut partes alicui attribuantur. Quae partes ita erunt disponendae ut ratione et via is, qui agit, progrediatur. Hoc vero summi momenti est, cum opera est cum aliis socianda.

Coniungendae res. Quae sunt diversa, divisa, distributa, quemadmodum in argumentis recte concludendis fieri solet, coniungenda sunt, ut tandem ad felicem exitum perveniatur.

Summum momentum obtinet methodus interior, quae exteriori vim tribuit, et actus interiores in ordinem disponit atque moderatur. Qua ex parte haec videntur esse monenda:

1. Quantum fieri potest, primae partes tribuendae sunt intellectui, nam motus animi sensusque non sunt illi quidem omnino reprimendi sed oportet caveatur ne praeter rationem ad agendum adigant hominem.

2. Perspicuis et supremis innitendum est principiis, a quibus actio proficiscatur. Sunt autem haec:

Veritates aeternae, quas dicunt, rectum iudicium rerum huma-

narum praebent atque etiam hominem illitteratum reddunt sapientem. Quod igitur in ipso catecheseos libri initio legitur, scilicet Deum homines creasse ut Ipsum cognoscerent, amarent, Ipsique deservirent, satis est ad fugandas tenebras et luctum inutilem.

Alia veritas, quae est quasi comprehensio totius Redemptionis, docet bonum esse fecundum, infecundum autem malum; illud postremo esse victurum, hoc tandem cedere debere; atque etiam virtutum semina permanere in animis. Hoc principium praeluceat oportet ei, qui, sacrum obiens munus, specie quidem nullum fructum fert laboris.

Deinde veterum sententia: *Age quod agis*, etiam quod ad res divinas attinet, vim obtinet et servanda videtur. Qui enim omnium virium contentione praesenti operi insistit, ampliorem inde colliget fructuum copiam.

Praeterea cum aliquis nimiis est distentus occupationibus adversaque laborat valetudine, prudenter agit, si non ex huiusmodi corporis affectione iudicat sed solum postquam rem in animo consideravit.

Oportet quoque ut homines, quibuscum opera est socianda, tales existimentur quales se revera praebent, hoc est eorum virtutes et vitia aequa perpendantur lance. Tunc enim, patientia adhibita, haud difficile erit socium opus exsequi.

Neque nimis tribuendum erit alieno iudicio ac vulgi sermunculis, quibus multi impediuntur ne opus alacres aggrediantur et perficiant. Magna est enim vel uno eodemque die hominum de aliis iudicantium mobilitas atque levitas.

3. Comparanda est consuetudo subtiliter et contexte cogitandi, disserendi. Ideoque vir prudens parum loquitur, res mature expendit neque facile de aliis existimat ac iudicium fert.

4. Motus animi sensusque cohibendi sunt, et, ubi necessitas postulat, reprimendi. Haec enim methodus interior exerceri non potest nisi firma et constanti voluntate, quae a virtute proficiscitur.

5. Memores simus oportet vitiorum, quibus laboramus, atque animo provideamus errores, in quos incidere possumus; Hoc ideo fieri debet ut ea, quae inde consequi poterunt, vitentur.

6. Omnes autem normae et rationes, quae ad methodum interiorem pertinent, ad haec duo praecipua referuntur, ad officium et ad tempus.

Officio adducimur ut eas res, quae sunt cum religione coniunctae, iis praeponamus, quae ad oblectamentum solummodo spectant. Quod si quis ex consuetudine facit, neque inania sibi finget neque animo in adversis deicietur; atque omnia se statim perficere posse minime confidet neque ab incepto cessabit, cum totam rem ilico nequeat expedire.

Ecclesiae enim tempus suppetit, ita ut si quid brevi vitae humanae spatio absolvi non potest, longius tempus insumat.

Grave ergo momentum officii atque temporis considerantibus, sollemne sit sacerdotibus ut animus numquam vacet ab opere. Itaque non fortuito ad desidiam se conferant, sed etiam honestum otium ante sibi constituant.

7. Neque parvipendendae sunt normae et agendi rationes exteriores, quae fiunt « per conversionem ad sensibilia ». Sunt ex hoc genere horae statutae, mores aliorum, vincula necessitudinis hisque similia.

De iis, quae methodo adversantur.

Multa profecto rectam impediunt methodum eique adversantur, quorum haec sunt praecipua:

1. Cupiditas illa propriam servandi libertatem et omnia paene ad suum referendi arbitrium.

2. Naturalis appetitus et impetus, delectationem sectantes, qui, cum sint varii et mutabiles, methodum omnino tollunt.

3. Etiam vis imaginandi seu phantasia, cum principiis non innitatur, methodo saepe adversatur.

De iis, quae methodum sequuntur.

Multa sunt commoda, quae ex methodo percipiuntur; etenim haec nobis dominium quoddam praebet et nostri et rerum agendarum, cum profiscantur ex cognitione et aestimatione futurorum ideoque omnia recte disponat.

Praeterea libertatem auget, ut ex iis, quae supra diximus, liquet; neque sinit nos per tenebras vagari, sed tempus et vitam nostram quasi lumine collustrat.

Simpliciora denique reddit omnia et faciliora, eamque servantes laboris atque temporis compendium facimus.

DE METHODO IN SPECIE

Quae antea universe diximus de methodo, ad omnes pertinet homines et ad cuiusvis generis actiones. Nunc vero ad sacrorum administros praecipue animum convertimus, de quibusdam rebus sermonem ingressuri, ad quas adhibenda sit methodus.

De methodo in vitae humanae cursu.

Finis supremus vitae humanae est Deus, finis autem medius peculiare officium ab homine exercendum. Res autem creatae instru-

menta habendae sunt, quibus homo ad Deum revocetur. In his profecto praecipuum locum obtinet tempus.

Imprimis est igitur annitendum ut salus propriae animae comparetur, cui cetera, sive necesarii sint sive honorum cursus sive divitiae sive ipsa vita, posthabenda sunt.

Deinde unicuique, dum hac vita fruitur, peculiare officium est implendum, quod saltem aliqua ex patre ad ceteros homines spectat, quandoquodem ex Dei ordinatione alius cum aliis societate coniungitur.

Iis vero, qui sacra munera obeunt, peculiare hoc officium semper erit ex oboedientia gerendum, quae in vita sacerdotis maximum obtinet momentum. Sunt qui multa agant sed non ea quae Moderatores iusserunt. Hi semetipsos decipiunt. Neque rectam tenent viam ii, qui carptim dumtaxat exsequuntur mandatas sibi partes, vel qui Modaratores inducunt ut ea, quae libent, sibi iniungant.

Cum dicimus res creatas non esse nisi instrumenta, quibus homo ad Deum perveniat, rectam atque certam statuimus rationem, qua illis sit utendum.

Quoniam praeterea tempus plurimi debemus existimare, officio astringimur id sapienter adhibendi, prudenter dimetiendi, diligenter redimendi.

Is ergo qui ex huiuscemodi ratione suam vitam componit, vera pace fruetur omniaque in meliorem interpretabitur partem. Si haec praecepta eius obversantur animo, non eo implicabitur errore, quo multi decipiuntur, scilicet vitam esse inutilem nisi nova et inaudita peragantur.

De methodo in vita spirituali.

Etiam in vita spirituali, quam vocant, methodus est servanda. Haud disputamus hic de peculiaribus rationibus, quibus haec vita ex magistrorum praeceptis dirigatur, sed confirmamus *ordinem* in pietatis exercitationibus esse necessarium.

Methodum igitur observat, qui propositi tenax magistrum consulit pietatis eiusque mandata et consilia ad usum deducit.

Inspectiones Moderatorum animo submisso accipiantur, cum iis infirmitas nostra roboretur et adiumentum methodo vitae spiritualis afferatur.

Praecepta, iussa, horae constituae, quamvis sint res exteriores, tamen ad methodum interiorem referuntur.

Libri praeterea, quibus vita spiritualis alatur, accurate sunt seligendi; haud raro enim accidit ut quis meditationem neglegat, quia non prae manibus habet librum ad aeternas commentandas res.

Cavendum est quoque ne quis in vitae spirituali exercitatione inconsulto aliquid suscipiat vel mysticismi, quem dicunt, erroribus circumveniatur.

De methodo in disciplinis atque studiis servanda.

De methodo in scientiarum pervestigatione:

Cum ea sit sincera scientia, quae rem ostendit per causas, ubi non argumentis concluditur, speciem fucatam scientiae habes, non autem veram scientiam.

Ut autem demonstretur causam et effectum vel principium et conclusionem reapse haberi, utendum est arte logica et revocanda in mentem octo scholasticorum praecepta de ratiocinatione.

In iis disciplinis, in quibus desunt argumenta ratione conclusa, sed ex vestigiis adumbrandae sunt res ante gestae, facile homines docti eas cogitatione depingunt, quod a sincera scientia omnino est alienum. In doctrinis quoque, quae ad mathematica pertinent, et in historia, haec ars logica multum potest ad veram scientiam efficiendam.

De methodo in studiis servanda:

Etiam in doctrinarum studio, quod sacerdotibus numquam est intermittendum, methodus, quemadmodum liquet, plurimum valet.

Vir studiis deditus in ea praesertim materia debet versari, quam proprium munus postulat. Sacerdotes igitur universe operam dabunt sacrae theologiae, sed pro peculiari officio alius magis excolet ius canonicum alius theologiam dogmaticam.

Studium igitur ad officium et religionem pertinet neque solius delectationis causa debet exerceri. Quapropter haud dixeris probum sacerdotem eum, qui oblectamenti gratia solet fabulas commenticias perlegere.

Levioris momenti res, quae plurimae in doctrinarum studio menti occurrunt, servire debent principi negotio, quod ingenio exercetur.

Praecipua a minoribus semper erunt discernenda, necessaria potiora habenda, ut amplus fructus possit percipi.

Quisquis studiis operam navat, oportet sibi constituat quod sequatur: quae proposita et consilia ad tempus quoque, sapienter dimetiendum, referri debent. Temporis igitur ratione habita, studium optime congruit cum apostolici muneris, licet valde actuosi, partibus.

Lectio autem non idem valet atque studium; quocirca ii libri adhibendi erunt, qui iterum atque iterum sumantur, utpote utiles et uberes doctrina.

De methodo in munere apostolico servanda.

Quae supra universe de methodo diximus, in hanc rem sunt transferenda, quam paucis expediemus.

Primaria lex et quasi fundamentum apostolatus est usus instrumentorum subsidiorumque supernaturalium, ut ex ipsa Christi doctrina colligitur. Itaque Deo supplicandi consuetudo, voluntaria castigatio, cultus divinus priora sunt omnino habenda.

Nequaquam ergo tempus terit is qui, antequam agat, animum colligit et pias facit precationes, sed is revera tempus optime insumit. Quae pietatis exercitatio si desit, et ipse apostolatus sacerdotis collabatur necesse est.

Praeter primariam hanc legem, quam ediximus, alterum quasi fundamentum apostolatus est christiana humilitas, qua non vanam gloriam et superbiam persequimur, et qua ea omnia removemus, quae ipsum apostolatum impediunt. Ideo, etiamsi infaustus datus est successus, sacerdos, qui hanc virtutem colit, non animum demittit neque, si res secunde cadunt, plausum exspectat hominum.

Ex praecepto caritatis ad alienae necessitatis rationem omnia sunt accommodanda.

Hac autem, qua vitam transigimus, aetate, paroecia non satis est ad procurandam salutem animarum. Oportet eas conquiramus, oportet penetremus in sodalicia civilia hisce temporibus constituta, atque, prout recte fieri potest, nosmet conformemus ad aliorum voluntatem et iudicium, praesertim quod ad litteras, ludicras exercitationes, cinematographeum attinet.

Modum vero, quo haec methodus recte componatur, imprimis lex praebet, quo nomine hic etiam sacrae potestatis iussa significamus. Si qui ergo curio constituit sacram aedem aureis ornamentis condecorare, sed ei imperatur ut conclavia apparet excipiendis iuvenibus ab Actione Catholica, idem hoc faciat et, quae antea destinavit animo, postea exsequatur.

Non autem satis est legibus ipsis obtemperare, sed oportet ut unusquisque ea omnia perficiat, ad quae officio et religione adigitur. Ea igitur, ceteris rebus posthabitis, agat, quae agere debet.

Qui paroeciae praeest, huic moderandae omnem curam impendat neque tempus perdat, ad alias res, licet honestas, semetipsum conferens. Si quis haeret, utrum hoc vel illud sit sibi potius agendum, Moderatores consulat; in quorum locum nullo pacto se substituere debent Sacramenti paenitentiae administri, cum de huiusmodi dubio a sacerdotibus interrogantur.

Praecipuo expleto munere, saepe tempus superest quod peculia-

ribus aliorum necessitatibus tribuatur. Hoc autem ita fieri debet ut primaria officia nihil detrimenti capiant.

Virium deinde atque potestatis alicuius rei faciendae diligenter est ratio habenda, ut apostolatus commode utiliterque exerceatur. Praestat enim bonum opus omittere quam temeritate et opinionis errore rem male gerere.

Alia regula muneris apostolici recte obeundi e fructibus perceptis haud immerito sumitur; huc pertinet usus rerum et prudentia, quam aliquis ipse acquisivit vel aliorum intuens exempla sibi comparavit.

Is etiam induendus est mentis habitus, qui ad operis socios spectat, quia plerumque apostolatus non ab uno sacerdote sed una cum aliis exercetur.

Sociis, qui ingenium atque studium conferunt ad rem agendam, facultas detur quadam cum libertate suam operam praestandi.

Cum vero operis habemus socios, oportet in nobis insit christiana humilitas et toleratio.

Denique ad methodum in apostolatu recte servandam multum valent termini praestituti, ut statae horae vel dies, quibus aliquod opus perficiatur. Huc pertinent instrumenta quoque, ut ephemerides, formae rerum agendarum, rationes, diaria, tabellae, sumptuum aestimatio hisque similia. Haec minime sunt neglegenda, sed id temporis, quod res postulat, iisdem erit tribuendum.

De methodo servanda cum aliquis aliis moderatur.

Omnibus fere mandatum est munus alios regendi, saltem cum aliorum excipiunt confessiones. Etiam hac in re methodus erit observanda:

1. Alii reguntur, cum, qui praeest, sibi ipsi moderatur. Illis enim moderatores debent in exemplum praelucere.

2. Alii nobis erunt obnoxii, si nosmet ipsos cohibemus. Reprimendi igitur sunt motus animi sensusque.

3. Praeter legum observationem, patientia plerumque est causa ut aliis simus salutis auctores, et pacem inter eos coagmentemus.

4. Soli difficile proficiemus sed simplici et candido animo opera erit cum aliis socianda.

5. Neque bonus est rector, qui solum diem, qui effluit, spectat, sed repetenda est memoria praeteriti temporis, atque animo providenda ea quae futura sunt.

Hae, quae de methodo exposuimus commentarii quidam sunt de parabola, quae agit de talentis. Non vero fuit huius instituti

sermonis tractatum conscribere de philosophia morali, sed adiuvare vos, fratres, ut inutilibus rebus missis, Deo ampliorem exhiberetis bonorum operum copiam.

Methodus vero non est per se ipsa exercenda, sed nobis debet servire quasi quoddam instrumentum. Ea autem servata, cum Deo magis coniungemur atque maiore fruemur pace atque animi gaudio.

Methodum servantes, alios facilius in salutis perfugium conducemus.

Joseph Card. Siri
Archiepiscopus Januensi

DETERMINATIO PERSONAE SUBDELEGATAE AD ASSISTENDUM MATRIMONIO (c. 1096)

Marius, parochus, iam omnia paravit ad nuptias, die 15 Julii celebrandas a Xaverio et Lucia. Die 14 telegrafice ei nuntiatur patrem suum gravis infortunii causa esse moribundum. Non habet vicarios cooperatores et in paroecia non adsunt alii sacerdotes. Telefonicam instituit communicationem cum conventu Capucinorum, in loco quem aliquis birota utens dimidia hora attingere facile potest. Parocho petenti frater ianuae custodiendae addictus respondet Patrem Superiorem non esse quidem extra locum conventus, attamen modo exiisse e convento, certo rediturum ante prandium. His auditis parochus iubet suum domesticum ut circa horam duodecimam adeat conventum et Superiori tradat litteras huius tenoris. « Rev. Pater. Coactus sum absque mora relinquere paroeciam. Cras deberem assistere matrimonio. Cum nesciam utrum tu ipse possis venire nec quem alium patrem possis mittere, ad normam c. 1096 delego te, Patrem Archatangelum da Nola, ut assistas matrimonio Xaverii et Luciae, iuridice omnino praeparato (c. 1096 § 2), cum facultate subdelegandi alium sacerdotem ». Superior reapse impeditus est ne ipse adeat paroeciam. Mittit Lebuinum, subditum suum, cui dat litteras: « ego... vi potestatis assistendi matrimonio Xaverii et Luciae, a Mario parocho mihi delegatae cum facultate subdelegandi alium sacerdotem, tibi Patri Lebuino da Cascia, sacerdoti, concedo facultatem subdelegatam ad assistendum matrimonio ditcorum Xaverii et Luciae ».

Lebuinus assistit matrimonio. Eadem die in recreatione serotina discussio fervet agitata inter patres capucinos de validitate huius matrimonii.

Theologiae moralis professor sustinet invaliditatem, adducens sequentes rationes:

1. Canones hac de re nihil expresse dicunt. Sed habetur interpretatio authentica, data die 28 Dec. 1927 (*A.A.S.* XX. p. 61), in qua dubium proponitur: « an parochus vel loci Ordinarius, qui ad normam c. 1096 § 1 sacerdotem determinatum delegaverit ad assistendum matrimonio determinato, possit ei etiam licentiam dare subdelegandi alium sacerdotem determinatum ad assistendum eidem matrimonio ». *Affirmative.*

Iamvero responsio expresse loquitur de licentia subdelegandi alium *determinatum* sacerdotem. Hanc licentiam parochus potest dare. Sed in casu, de quo nunc loquimur, parochus excedit id, quod in his verbis ei conceditur. Ipse enim dedit Patri Superiori licen-

tiam subdelegandi sacerdotem *quemlibet* seu *non determinatum*. Hoc faciendo parochus excedit limites suae potestatis. Parochus fecit quod interpretatione authentica proprie excluditur usu verborum « alium sacerdotem *determinatum* ». Delegatio ad assistendum ipsi patri Superiori data erat valida; licentia autem subdelegandi erat invalide data.

2. Insuper, etsi verum sit canones nihil explicite statuere circa casum, aliquid tamen ex ipsis deduci potest. De subdelegatione potestatis nuper scripsit P. Bender. O. P., in *Monitor Ecclesiasticus* 1952, n. 4, docens facultatem subdelegandi aut iterum subdelegandi (de qua in c. 199 § 3) non haberi, nisi concessum ab eo, qui habet hanc potestatem *ut ordinariam* seu cui potestas haec est sua. Tota series subdelegationum dependere debet a persona, quae delegat ex potestate ordinaria. Una sola exceptio admittitur scilicet, si ipso iure aliud statuatur, sicut fit in can. 199 § 3. Porro si hoc principium generale applicetur ad casum nostrum, sequitur sacerdotem delegatum non posse habere facultatem subdelegandi nisi sacerdotem designatum seu electum ab ipso parocho. Parochus autem electionem relinquit Patri Superiori. Hoc in iure non admittitur.

3. Etiam c. 1096 § 1 exigere videtur hanc interpretationem, ne perveniamus ad absurdum. Si enim licentia subdelegandi quemlibet sacerdotem esset valida, sequitur quod parochus, qui non potest ipse delegare omnes patres conventus, posset alii sacerdoti (puta: superiori) dare licentiam subdelegandi omnes patres.

4. Ad probandum me non solum propugnare hanc sententiam, faveas legere quae scripsit F. Galtier, *S. J.* in suo libro: *Le Mariage, discipline orientale et discipline occidentale*, p. 258: « Pour pouvoir subdéléguer il faut que le droit en ait été donné par celui qui délègue, expressément, pour un mariage déterminé; bien plus qu'il *sache et partant accepte le choix du subdélégué:* « je vous donne pouvoir d'assister tel jour a tel mariage — je crains de ne pouvoir être présent. — Qui pourrait vous remplacer? — Tel prêtre. — Bien, vous pourrez le subdéléguer au besoin ». Scio hunc auctorem proprie proponere ius orientale. Sed in hac re ius orientale et occidentale conveniunt.

Mihi videtur, concludit moralista, me sufficienter probasse licentiam subdelegandi a parocho datam fuisse invalidam ideoque etiam licentiam assistendi a Superiore datam Lebuino. Sequitur matrimonium Xaverii et Luciae esse invalidum ex defectu formae.

Contacent omnes. Expectant confirmationem a iuris canonici professore praesente. Ipse e contra declarat se non approbare sententiam confratris sui neque esse convictum rationibus adductis. Mea sententia, ait, matrimonium est validum. Nam licentia subde-

legandi fuit valide et recte data. Sane, ea quae pater moralista adduxit in favorem suae sententiae non sunt ita evidenter erronea ut non mereantur considerationem. Tamen eius interpretatio iuris vigentis non est recta et sustinenda. Mihi videtur sic esse procedendum.

Pacificum est leges de delegatione et subdelegatione potestatis assistendi matrimonio non solummodo praeberi in cc. 1094 et 1096, sed etiam in canonibus, qui continentur in Codicis libri II titulo V. Etsi verum sit potestatem assistendi non esse potestatem iurisdictionis, certum est regulas datas pro potestatis iurisdictionis delegatione et subdelegatione etiam valere pro delegatione et subdelegatione potestatis assistendi matrimonio. Propter hoc tota legislatio de hac materia sic est organice constructa:

1. In c. 1094 statuitur potestatem assistendi esse ordinariam in Ordinario loci et parocho. Potest autem ab ipsis delegari aliis.

2. Regulae servandae in facienda hac delegatione (et subdelegatione) dantur in duobus Codicis partibus, quae ad invicem se habent ut pars generalis et pars specialis. Pars generalis continet normas quae vigent pro delegatione cuiuslibet potestatis. Est titulus V libri II. Pars specialis continet normas quae respiciunt solam hanc specialem potestatem, scilicet assistendi matrimonio. Est canon 1096. Utrique parti adiunguntur interpretationes authenticae quae datae sunt. Secundum regulam iuris notissimam: *species derogat generi*, pro delegatione potestatis assistendi vigent normae contentae in titulo V, nisi pro aliquo actu delegationis c. 1096 habeat normam contrariam istis regulis.

In c. 1096 reapse habentur aliquae normae propriae, quae sunt strictiores normis tituli V. Titulus ille V admittit delegationem potestatis factam personae *non determinatae*. Fieri enim potest etiam omnibus sacerdotibus alicuius loci et etiam personae adhuc circumstantiis futuris determinandae. Et delegari potest pro omnibus casibus alicuius generis, puta ad absolvendos omnes qui confessionem instituunt. Can. 1096 § 1 statuit quod licentia seu delegatio dari non potest nisi sacerdoti *determinato* [1] ad matrimonium *determinatum*, exclusis delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus. Praeter has duas normas, quae restringentes derogant normis tituli V pro delegatione et subdelegatione potestatis assistendi, valent normae generales de delegatione et subdelegatione potestatis in genere.

---

[1] De vero sensu verbi « sacerdos determinatus » scripsimus in *Periodica de re morali*, 1949, fasc. II, p. 195.

Quid autem requirit can. 1096? Requirit ut (exceptione facta pro vicariis cooperatoribus, de quibus autem nunc non est sermo) matrimonium celebretur coram sacerdote designato individualiter pro matrimonio designato individualiter. In hoc casu enim modo simplici constatare potest de delegatione accepta. Sic evitatur periculum incertitudinis quae facile oriri potest si sacerdotes habere possunt facultates habituales pro quolibet matrimonio in diocesi aut in paroecia celebrando, ideoque assistere valide possunt quin parochus aut Ordinarius det licentiam ad casum concretum, quem tunc cognoscit et de quo vigilare potest. Similiter sic evitatur periculum incertitudinis, quae facile oritur si indicatio sacerdotis fit dependenter ab aliquo facto futuro adhuc incerto et postea forsitan dubio aut ab actu futuro alterius personae, de quo etiam non semper habetur certa cognitio, aut fit indicatione generali, qua multi constituuntur, quin delegans aut subdelegans sciat quinam sacerdos individuus comprehendatur sub indicatione generali, e. g. patres huius conventus.

Igitur id quod requirit c. 1096 est, ut sacerdos assistens sit determinatus ad determinatum matrimonium. Et hoc verificatur si sit determinatus actu *delegatione* casu quo constituitur *delegatione* et assistit cum potestate *delegata*. Hoc etiam verificatur si sit determinatus actu *subdelegationis* casu quo constituatur *subdelegatione* et assistat cum potestate *subdelegata*. Actus sive delegationis sive subdelegationis debet esse ad determinatum sacerdotem, i. e. debet determinare individualiter sacerdotem (aut duos forsitan vel tres). C. 1096 non requirit neque necessarium est ad habendum determinatum sacerdotem, ut ipsa determinatio sacerdotis subdelegati iam fiat a delegante et non relinquatur personae subdeleganti. Hoc non continetur in verbis: « dare debet sacerdoti determinato ». Etiamsi electio personae subdelegandae fiat a sacerdote delegato cum potestate subdelegandi, verificatur quod potestas assistendi datur *determinato* sacerdoti. In casu nostro: potestas subdelegatione datur Lebuino, qui est sacerdos determinatus seu proprio nomine designatus. Sic perfecte in tuto ponitur certitudo circa validam assistentiam ex parte delegationis.

Hic dictis vobis limpida erit conclusio: Lebuinus erat praeditus potestate data determinato sacerdoti pro determinato matrimonio. Ideoque ex parte assistentiae matrimonium non est invalidum.

Benigna murmuratio probat auditores approbare conclusionem canonistae. Recordantur autem rationum non levium a moralista adductarum. Quapropter communi desiderio satisfacit Superior quaerens: « Sed quid, reverende pater, respondes ad argumenta adducta a confratre tuo moralista? ».

Plene respondebo, subsumit canonista, ad laudata argumenta. Non sunt futilia, sed tamen non sunt firma et vera. Ex ordine ea crisi submittam.

1. Ad interpretationem authenticam quod attinet, notare nos oportet eam esse datam in forma responsionis ad dubium accurate formulatum. Huiusmodi responsiones non plus decernunt quam ea, quae in dubio proposito quaerentur. Quaeritur: an parochus... possit ei (i. e. personae quam delegavit) etiam licentiam dare subdelegandi alium sacerdotem determinatum ad assistendum matrimonio. Responsio est: affirmative, a. v. hoc potest. Qui autem declarat aliquid fieri posse, non declarat aliquid aliud, etsi plus, fieri non posse. De hac alia re tacet, nihil dicit. Hoc relinquit indecisum. Quare:

a) dato non concesso verba: « subdelegandi alium determinatum sacerdotem » hic intelligenda esse de « alio sacerdote determinato *a parocho* delegante », non adhuc declararetur his verbis quod parochus non potest dare facultatem subdelegandi sacerdotem determinatum non ab ipso sed ab illo, cui dat facultatem subdelegandi. Sane, qui dicit: sacerdotem a parocho determinatum, *excludit* sacerdotem non a parocho determinatum. Sed e quo excludit hoc ultimum? Non a potestate parocho quam intendit describere, sed a decisione seu ab interpretatione data. Si aliquis post lectam interpretationem authenticam posuisset quaestionem: sed quid de facultate dandi subdelegationem sacerdoti non determinato a parocho?, responsio esset: de hoc nihil dicitur. Hco dubium non est propositum; ergo nec solutum; de hoc non habetur neque affirmatio neque negatio.

b) dixi: dato non concesso. Non enim concedo verba: « subdelegandi determinatum sacerdotem » significare « sacerdotem determinatum a parocho delegante ». Verba interpretationis authenticae omnino sunt eadem ac leguntur in canone 1096 § 1. Ibi verba: determinatus sacerdos ad determinatum matrimonium » respiciunt ultimum effectum processus delegativi. Ad validitatem assistentiae requiritur ut sacerdos assistens sit sacerdos determinatus, individualiter ut sic designatus et non indicatus indicatione coetus multorum quibus in globo data est facultas assistendi aut qualificatus actu personae qui non concedit facultatem (e. g. delego sacerdotem quem missurus es) aut eventu futuro incerto (e. g. qui aderit in paroecia). Si parochus concedat sacerdoti delegato facultatem subdelegandi alium sacerdotem determinatum, vi subdelegationis peractae habetur ille sacerdos determinatus de quo loquitur c. 1096; etsi non determinatus sit ab ipso parocho. Hoc ultimum autem non

requiritur neque canone 1096, neque interpretatione authentica [2]. In casu nostro duo habentur actus quibus potestas assistendi tranfertur: delegatio et subdelegatio. De utroque valent verba canonis: debent fieri ad determinatum sacerdotem. In casu nostro etiam uterque reapse factus est ad determinatum sacerdotem. Nam parochus delegavit Patrem Archatangelum et hic subdelegavit Lebuinum (vi facultatis subdelegandi determinatum sacerdotem). Praecepta iuris, Codice et interpretatione authentica contenta, plene sunt servata. Moralista autem non recte interpretavit normas iuris.

2. Neque valet appellatio ad articulum professoris Bender. Hic enim ibi docet totam seriem (sub)delegationis debere fieri dependenter a voluntate personae, quae delegat potestatem ordinariam seu suam, ita ut subdelegationes non fiant aut concedantur ultra voluntatem eius. Hoc autem in casu perfecte servatur. Nam Marius expresse et conscienter concedit Superiori licentiam subdelegandi sacerdotem determinatum actu subdelegationis, quamvis ipse nolit vel nequeat hanc personam determinare. Electio personae subdelegandae, qua subdelegatio fit ad determinatum sacerdotem, non fit *ultra* voluntatem parochi. Qui cum patre moralista hoc sustineret, debet e sententia a p. Bender propugnata concludere quod Ordinarius nequit Titio, rectori sanctuarii, delegare iurisdictionem ad audiendas confessiones cum facultate subdelegandi alios sacerdotes a rectore eligendos. Nam etiam tunc subdelegatio non dependeret a voluntate Ordinarii seu personae, quae potestatem habet ut ordinariam.

3. Illud absurdum ad quod duceret nostra sententia, reapse non exsistit. In hac re moralista est victima confusionis, facile tamen committendae; res distinguendae enim sunt valde similes. Ipse

---

[2] Obiicere forsitan quis velit: si explices sic interpretationem authenticam haec nihil efficit. Nam tunc post eam viget ius, quod iam ante eam fuit in vigore, vi canonum 199 et 1096. Ergo interpretatio inutilis est. Ad hoc respondeo finem interpretationum non semper esse ut novum ius condatur. Non raro interpretatio etiam authentica « verba legis in se certa declarat » (c. 17 § 2.). Quae enim sunt clara *in se*, non semper sunt clara *quoad omnes*, notatim quoad eos qui dubium proponunt et interpretationem authenticam provocant. Nec dicendum est quod interpretatio tunc nihil efficit. Non efficit iuris mutationem, sed efficit claritatem et certitudinem apud eos, qui eam hucusque non habebant.

Si autem quaeris quare textus interpretationis authenticae tam expresse premat et repetat verbum: *determinatum*, quod iam evidenter requiritur in iure, scilicet in c. 1096, respondeo quod interpretatio authentica, loquens de potestate assistendi matrimonio, loquitur in terminologia deprompta e canone 1096. Hoc utilissimum est ut inculcetur: licentia subdelegandi dari potest a parocho, sed etiam de subdelegatione valet quod in c. 1096 statuitur: fieri nequit nisi ad sacerdotem determinatum pro determinato matrimonio.

perhibet quod si mea admittatur interpretatio sequeretur parochum posse concedere aliis quod ipse nequit facere, scilicet subdelegare sacerdotem non determinatum. Hoc autem verum non est. Parochus dat Superiori facultatem faciendi id, quod ipse potest et nihil amplius; scilicet actu suo constituere sacerdotem determinatum capacem ad assistendum. Potestate sua ordinaria parochus potest delegare determinatum sacerdotem, Ipse potest delegare aut Superiorem, aut Lebuinum aut Simplicium. Hanc potestatem potest, simul cum facultate assistendi, tradere Superiori. Si hoc reapse fecerit, Superior potest tantummodo id quod et ipse parochus potest; nihil amplius: actu suo potestatem tradere determinato sacerdoti. Unica differentia est quod parochus hoc potest in gradu primo, ut ita dicam, seu in gradu delegationis; cum a contra Superior hoc potest in gradu secundo seu in gradu subdelegationis.

4. Verba citata, quibus P. Galtier enuntiat sententiam patris moralistae, in suo libro leguntur. Sed auctor sententiam suam his verbis proponit. Deinde optime elucidat quae intendit docere. Nihil autem adducit ad probandam sententiam. Probabiliter auctor putat hanc doctrinam cum evidentia deduci ex textibus iuridicis. Hoc esse erroneum sufficienter probavimus. Nunc sufficit dicere: gratis asseritur, gratis negatur.

In toto processu delegationis in quo partem habent Marius, Superior et Lebuinus servatum est id quod ius exigit: potestas assistendi non invenitur nisi in sacerdote actu delegationis vel subdelegationis *determinato*. Nullibi habetur delegatio facta sacerdoti non determinato aut ad matrimonium non determinatum. Quare validum est matrimonium Saverii et Luciae.

Doctrina patris canonistae videtur esse vera et probata.

Dr. L. Bender. O. P.

CIRCA INTERPRETATIONEM CANONIS 1098 C. I. C.

1. Ob multas rerum difficultates quae applicationem canonis 1098 hisce temporibus frequentiorem fecerunt, dubia quaedam iuris haberi coeptum est de eiusdem sensu; quorum primum sic enuntiari posset:

Utrum, secundum can. 1098, ad valide matrimonium coram solis testibus contrahendum sufficiat conditio rerum obiectiva qua morali certitudine praevideri possit parochum vel sacerdotem delegatum per mensem aut haberi aut adiri nequire sine gravi incommodo, an requiratur etiam praevisio positive et subiective efformata vel a nupturientibus ipsis vel saltem ab eis qui nuptias praeparant, aut eisdem assistunt.

Disciplina post-tridentina

2. Disciplina formae extraordinariae celebrandi matrimonii inducta est post Conc. Trid. e necessitate componendi ius naturale matrimonii contrahendi cum impossibilitate aliquando servandi formam positivam praescriptam a celeberrimo Decreto Tametsi. Decretum multis malis occurrere voluit; at nova mala inducere non poterat. Ait Ojetti: « etsi ex praescriptione formae substantialis servandae in celebratione matrimonii multa commoda proveniunt, ea tamen non ita est urgenda ut nimis coarctet naturale ius contrahendi nuptias, secus lex nociva et periculosa evaderet ». (ASS, vol. 41, p.535).

3. Inde exceptiones necessitati formae tridentinae; inter quas habetur impossibilitas adeundi Ordinarium aut parochum proprium. Immunes nempe sponsi erant a servanda forma Tridentina, si parochus aut alius legitimus Superior generaliter a communitate aut nullatenus aut nonnisi difficillime et post diuturnam moram adiri potuit. Ita omnes auctores; pro quibus sufficiunt allegare Schmalzgrueber, *ius can. univ.*, l. IV tit. III, nn. 103 s., 116 s.; Benedictus XIV, *de syn. dioeces.*, l. XII, c. 5, n. 5.

Sic iurisprudentia SS. CC. efformata est, cuius summam tradebat Gasparri, *de matrimonio*, ed. 1ª (1891), vol. II n. 966, hisce verbis: « Et in primis impossibilitas hic intelligitur physica vel moralis in sensu lato ita ut comprehendat etiam seriam difficultatem, quando lex Tridentina « observatu impossibilis aut difficilis fuerit » ut ait S. C. S. Officii in Instructione 6 iulii 1817. Nempe quando nupturientes non possunt omnino parochum legitimum

HABERE (Pius VI ad Episcopum Lucionensem, 28 martii 1793); vel nonnisi difficillime et periculosissime AD EUM RECURRERE POSSUNT (Pius VI ad Episcopum Genovensem 5 oct. 1793); vel TUTUS ACCESSUS AD ILLUM NON EST (S. C. C. 18 ian. 1863); vel OB PERSECUTIONEM NON EST CHRISTIANIS FACILIS ADITUS ad missionarium (S. C. de Prop. Fide 2 iul. 1827 ad 2^{um}); vel FACILIS AD EOSDEM (parochos) et TUTUS NON PATET ACCESSUS (S. C. S. Officii 6 iul. 1817) ».

4. Ex natura rei omnes quoque auctores censuerunt impossibilitatem aut difficultatem DIUTURNAM esse debere: id est, non sufficere si parochus et Ordinarius per diem aut per hebdomadam dessent, ut fideles coram testibus tantum matrimonium inire possent. Testes autem requirebatnur quia « impossibilitas quoad praesentiam testium (a Conc. Trid. requisitorum) vix potest verificari, cum quilibet masculus aut femina, usum rationis habens, possit esse testis ». Sic GASPARRI, l. c.

5. Itaque breviter compendiata doctrina a S. C. S. Officii tradita est die 1 iulii 1863 ad Episcopum Vallispratensem, prout referunt auctores, sequentibus verbis: « Quando difficilis nec tutus est accessus ad parochum, et ignoratur quandonam parochus haberi possit, et PRAEVIDETUR spatio SALTEM unius mensis a loco abfuturus, nullusque alius sit qui vices parochi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata in eo, quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus » (Collectanea S. C. de P. F. (ed. 1907), I, n. 1240). In hac formula notanda est clausula: « et praevidetur spatio saltem unius mensis a loco (parochus) abfuturus ». Nam, ni fallor, prima hac vice in iurisprudentia apparuit conditio temporis determinata, ut verificari censeretur immunitas a forma Tridentina. In praecedentibus documentis in Collectanea S. C. de P. F. recensitis, de tempore absentiae nihil dicebatur. Cfr. ib. nn. 15, 17, 149, 190, 566, 644, 842, 1240.

6. Id est, cum opportunum esset diuturnitatem absentiae determinare, et ex alia parte inutile esset matrimonium differre si conditiones loci absentiam diuturnam fore suaderent, introducta est illa formula quae permitteret immediatam matrimonii celebrationem. « Unde fit, merito BALLERINI in notis ad Gury, II, n. 840, et BALLERINI-PALMIERI, in *opus theol. morale*, n. 1198 s. edixerunt, ut quando prudenter censeri queat intra mensem non affore facultatem tuti accessus ad parochum, iam ex nunc et alia mora non interposita, ea forma matrimonium valide ac licite contrahi possit ».

Nemo sane cogitabit praevisionem heic enucleatam esse iudicium quoddam subiectivum quod tamquam conditio sine qua non

validitatis matrimonii afferatur. Processus satis demonstratur. Immunitatis nempe a forma tridentina deducebatur ex impossibilitate physica vel morali (obiectiva nempe) eam servandi cum manifesta laesione iuris naturalis ad matrimonium. Leges cum gravi incommodo non obligant: incommodum autem in casu gravissimum erat, scilicet, periculum concubinatus sponsorum si diutius legem observare tenerentur, praesertim cum ius naturale ad matrimonium praesto esset.

7. Et S. C. S. Officii validum semper tenuit matrimonium coram testibus tantum celebratum, ubi parochus haberi nequiret. Sic in decr. 14 nov. 1883 pro ditione Canadensi, occasione dubii exorti de validitate promulgationis Decreti TAMETSI in missionibus et quasi paroeciis, mentem suam hanc exprimebat: « Mens est, quod in locis, ubi haberi nequeat parochus, validum est matrimonium celebratum coram duobus testibus; contrahentibus tamen onus inest recipiendi, quamprimum id fieri possit, benedictionem nuptialem, et curandi ut eorumdem matrimonium inscribatur in sacramentali registro missionis, vel proximioris Ecclesiae, cui subiiciuntur ». ASS. vol. XVII, p. 352.

Legislatio Decreti « Ne temere »

8. Ut antea dicebam, auctores hanc doctrinam unanimes tradiderunt. Testes sunt GASPARRI, WERNZ, BOUDINHON, OJETTI aliique. Hinc, decreta reformatione Concilii Tridentini quoad formam celebrationis matrimonii annis 1905-1907, in S. C. Concilii parata sunt schemata futurae legis. Quoad nostram materiam attinet, in Schemate Canonum EE. PP. die 17 februarii 1906 proposito, can. 8 redactus erat in hanc formam (Cfr. ASS., vol. 40, p. 565):

« Canon 8, § 1. In impossibilitate generali ac diuturna, adeo ut PRUDENTER PRAEVIDEATUR intra annum vel semestre coram Ordinario vel parocho, aut sacerdote ab iis delegato non posse matrimonium celebrari, hoc valide et licite iniri poterit coram duobus saltem testibus.

§ 2. In impossibilitate particulari, imminente scilicet mortis periculo, ad consulendum conscientiae et prolis legitimationi etiam coram simplici confessario, aut alio unico teste matrimonium contrahi valide et licite potest ».

9. In duabus his paragraphis doctrina communis continebatur. Ipsa enunciatio facile suadet ibidem describi conditiones obiectivas, quin ullum elementum subiectivum sit necessarium ut determinetur quando forma extraordinaria matrimonium valide ac licite

contrahi possit. « In impossibilitate generali ac diuturna »: verba sunt haec quae RERUM conditiones describunt. Et ideo schema prosequitur: « ADEO UT prudenter praevideatur », i. e. talis sit conditio quae PERMITTAT seu FUNDAMENTUM det ut prudenter praevideatur. Magis clare, ni fallor, dici non poterat ipsas (obiectivas) rerum conditiones esse attendendas et non factum ipsum praevisionis, quae tamquam elementum subiectivum determinaret validitatem vel minus matrimonii celebrandi. Et ideo formula S. C. S. Officii (superius n. 3 relata) « et praevidetur » mutata est in aliam: « ut prudenter praevideatur ». Ubi notandum usus adverbii PRUDENTER cum subiunctivo coniuncti (praevideatur), quod non aliud significat nisi actionem verbi quae vel habetur vel haberi POTEST secundum quod rerum adiuncta illam determinant.

10. Schema noviter retractatum fuit (cfr. ASS, l. c. p. 567) denuoque S. C. C. propositum, in quo noster canon hac nova redactione apparuit (cfr. ibid. p. 570):

« Can. 6 § 1. In impossibilitate generali ac saltem per mensem duratura habendi aliquem Ordinarium vel parochum aut alium sacerdotem ab eisdem rite delegatum, matrimonium, absque eorumdem praesentia, valide et licite celebratur coram duobus saltem testibus, si haberi possunt ».

Dempto igitur quovis vestigio praevisionis, canon proponebatur redactus sensu absoluto. In animadversionibus Consultorum (Cfr. ib.) legitur: « Quidam Consultores loco PER MENSEM ponerent SEMESTRE, vel TRIMESTRE, vel saltem BIMESTRE, quun etiam hoc modo non laedatur ius naturae ». Incommodum nempe observandi formam positivam contrahendi matrimonii ex ipso iure naturae aestimari oportet et inde aliqua determinatione quoque eget; legislator, cum ipsa adiuncta consideranda sumit, nihil aliud facit nisi determinare, quando censendum est legem positivam cessare debere et ius naturae subintrare. Itaque mens canonis manifesta erat.

Quin imo, in redactione definitiva quam in Decreto NE TEMERE obtinuit, lex intensiori verborum vi hanc obiectivitatem expressit: « VIII. Si CONTINGAT ut aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque RERUM CONDITIO a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus ».

11. Nemo non videt inter discipinam ante Decr. NE TEMERE observatam et novam ab hoc Decreto inductam, substantialem concordantiam haberi; at in uno puncto inter se complete differre. Hoc

non obstante, « decretum, ait OJETTI, relate ad hunc casum, in quo verificatur defectus parochi etc. nihil aliud fecit, nisi antiquam disciplinam vigentem in locis, ubi promulgata fuerat lex Tridentina, paucis immutatis, consecrare » ASS, vol. 41, p. 535. In tali, nempe, disciplina, in qua casus huiusmodi multo frequentiores futuri erant, cum ea ad universum orbem per Decr. NE TEMERE extenderetur, voluit Pontifex ut regula excusans desumeretur non ex praevisione absentiae parochi, sed ex FACTO quodam CERTO: quod securius est et aptius pro praescriptione iuridica. Ita ipse OJETTI l. c. et *in ius antepianum et pianum ex decreto* NE TEMERE, p. 137.

Agitur nempe de interpretandis condicionibus ex quibus ob ius naturae praevalet celebratio matrimonii sine forma substantiali positive statuta, aut retento ex illis eo, quod absque incommodo retineri potest, ut sunt testes. In disciplina a decr. NE TEMERE promulgata attendendum erat unice ut incommodum quod ex absentia sacerdotis competentis provenit iam a mense duraverit: id est, si talis conditio rerum haberetur ab ipsa mensili absentia, i. e. a facto certo, determinata.

12. Casum fingamus: si missionarius qui districtus partis suae percurrere solet, per quemdam locum iam ante mensem transivit, sponsi autem vellent matrimonium inire, quod reapse inierunt coram solis testibus quia sacerdos competens aberat, revera matrimonium fuit validum, etiamsi sponsi nesciverint legem de spectando mense, vel etiamsi scirent, reapse dubitaverint an mensis esset elapsus, vel denique de verificando mense iam elapso nullatenus curaverint, etiam ob incuriam vel negligentiam. Et ratio est quia id quod legislator intendit per determinationem mensis iam elapsi, fuit validitatem matrimonii ab obiectivis rerum conditionibus pendere facere, non autem subiectivis.

CL. OJETTI duos sibi casus proponebat, qui rem vere illustrant. Quaerit: Quid in casu (secundum decr. NE TEMERE) quo, nondum a mense defectus parochi etc. perduret, sed moraliter certum est per mensem perduraturum? Respondet: puto eos valide hoc modo contrahere non posse, nisi mense iam expleto. Verba enim legis clara sunt et requirunt mensem iam elapsum. Et ulterius quaerebat: Quid in casu omnino contrario, quando scilicet parochus iam a mense abest, sed notum est eum brevi rediturum? An duo qui tunc coram testibus tantum contraherent, valide agerent? Respondet OJETTI: Et puto dicendum eos *certissime valide contrahere*. Verba enim decreti apertissima sunt, et nullum relinquunt rationabili dubitationi locum.

Has solutiones absque dubio firmavit S. C. de Sacramentis in resolutione Dubiorum ROMANA ET ALIARUM, die 13 martii 1913 (AAS, vol. II (1910), pp. 193-196), quando respondit : «Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solitis testibus sine praesentia sacerdotis competentis ad assistendum SEMPER AC, elapso iam mense, sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat ». Imo, resolvebat S. Congregatio valide etiam tum matrimonium coram solis testibus iniri, si qui in eiusmodi regionem de qua in num. VIII (decr. NE TEMERE) in FRAUDEM LEGIS se conferrent. Cfr. l. c. ad III.

INCOMMODA QUEDAM

13. Prudens lector haec percurrens facile videt incommoda pleraque a Decr. NE TEMERE in subiecta materia evitata non fuisse, imo nova exsurrexisse praecise ob novam normam de mense iam transacto praescriptam. De casu altero ab OJETTI proposito, de quo supra, cl. Auctor scribebat: « Equidem puto eos, qui ita agerent (i. e. secundum hypothesim casus) male acturos praecise quia evidenter ex mente Ecclesiae, quae maxime cordi habet ut matrimonium coram parocho contrahatur, debuissent aliquot dies exspectare, quod, ut suppono, sine incommodo facere potuissent; attamen valide contraxerunt. Nec, meo iudicio, ratio deest, cur ita conceptum fuerit decretum. Lex enim debet imprimis clara esse et manifesta nec dubitationibus obnoxia; multo magis ea esse non debet fons perplexitatum. Quare necesse est ut ea aliquid praescribat certum et determinatum sine ambagibus et implexis obscuritatibus; et melius est ut in raro quodam casu aliquid fieri possit ex lege, quod minus bene fit, quam ut lex ad hoc impediendum incerta aut obscura implexaque evadat ». *In ius antepianum etc.*, pp. 137-138.

Cum igitur legislator materiam iterum retractandam ad Codicem I. C. sibi sumpsit, putavit, vel casus, quos raros OJETTI dicebat. non infrequentes fuisse vel incommoda haud parva ex requisito mense enata, praesertim in locis missionum. Facile intelligitur quod iam supra innuebamus accidisse (n. 3): quod nempe sponsi matrimonium celebrare cupientes, si per mensem exspectare obligarentur, facile in nuptias statim proruerent quae invalida forent, nec sanarentur per elapsum mensem absentiae parochi. Unde incommodum praecise contrarium habebatur, si catholici, ignorantes legem canonicam aut negligentes aut indifferentes, matrimonium in absentia parochi contraherent, quod erat invalidum si nondum mensis absentiae elapsus erat, et validum, si iam elapsus.

14. Sed quidquid sit de ratione novae legis, Codex Iuris canonici ad antiquam disciplinam redeundum esse censuit. Instauravit nempe validitatem matrimonii, quando haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam Canonum 1095, 1096, etiam extra mortis periculum, *dummodo praevideatur eam rerum conditionem per mensem duraturam.* Canon 1098. Cfr. supra 3 responsionem S. C. S. Officii ad Episcopum Vallispratensem, et nn. 5, 6 Schemata praeliminaria ad Decretum NE TEMERE.

Dempta omni mentione impossibilitatis generalis vel particularis (cfr. Schemata cit.) vel regionis (cfr. Decr. NE TEMERE n. VIII) et legem ad meram contingentiam reducendo: in mortis periculo, aut etiam extra mortis periculum, validum et licitum matrimonium coram solis testibus declarat in adiunctis dictis celebratum, ita tamen ut in mortis periculo, per ipsum periculum (non ex aestimato periculo) praesuppositum legis habetur; extra periculum autem mortis per *conditionem* adiectam « dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam ».

Interpretatio periculi mortis

15. De periculo mortis solent quidem auctores referre: gravitatem periculi moraliter esse aestimandam et si error adfuerit in aestimatione periculi mortis, non ideo nuptias coram solis testibus invalidas esse, « dummodo periculum prudenter aestimatum fuerit grave, non autem imprudenter et prorsus fucatum ». Ita GASPARRI, *de matrimonio*, ed. 1932, vol.II, n. 1007.

Per se periculum mortis, quoad validitatem formae extraordinariae, agit secundum quod existit vel non. Periculum mortis est discrimen rerum, in quo cum quis constitutus est, ipsum et superesse et occumbere posse, utrumque est vere PROBABILE (D'ANNIBALE, *sum. theol. moralis*, I. n. 58). Applicationi igitur canonis 1098 normaliter praecedit aestimatio probabilis alterutrius partis mortis et quidem ex gravibus argumentis deducta. Iudicium probabilitatis influit quidem in valorem formae extraordinariae iuxta exposita, quod et ipsa aequitas postulat; at per se, ut forma contrahendi canonis 1098 valeat, NON REQUIRITUR aestimatio ipsa subiectiva, cum canon dicat simpliciter: « in periculo mortis validum est matrimonium coram solis testibus ». Sed finge casum in quo *reapse* periculum mortis adsit, partes autem iudicium *certum* ea de re efformare nequeant cum tamen matrimonium inire velint coram solis testibus

quia parochus sine gravi incommodo adiri vel haberi nequit, matrimonium ita celebratum ecquis invalidum dicet. Etenim celebratum est in mortis periculo et in adiunctis absentiae etc. cum formali consensu matrimoniali et absque impedimentis.

Praevisio « de iure » et praevisio « de facto ».

16. Conditio a canone requisita extra periculum mortis, nempe « dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duratura », significat praeprimis factum absentiae parochi non sufficere, sed aliud elementum requiri iuridicum, quod non in facto quodam, ut in Decr. ne temere, consistat, nempe conditio rerum quae per mensem duravit, sed in *praevisione*, uti ante Decr. citatum dicebatur, quod illa rerum conditio per mensem est duratura.

Praevisio est actus intellectus quo quis consideratis quibusdam rebus vel adiunctis, alia quae nondum sunt vel verificata non sunt, in antecessum videt futura. In iure, ex analogia cum aliis institutis, distingui potest praevisio de iure et praevisio de facto. Distinguitur vr. gr. error communis de iure et de facto. Error, seu iudicium intellectus de aliqua re falsum, potest haberi in communitate si plures revera illud falsum iudicium eliciant affirmando quod revera non est: et dicitur error communis de facto. Error communis dicitur quoque, si adsit fundamentum ipsius erroris, seu talis rerum status, qui aptus sit ex se ad gignendum in pluribus mentibus iudicium falsum: et dicitur error communis de iure.

Sic etiam, circa praevisionem alicuius facti, distingui potest praevisio de facto seu actus formalis intellectus videntis, antequam facta eveniant, quae ventura sunt; et praevisio de iure seu talis rerum status, quem si quis consideret, videbit, vel videre potest quid futurum sit.

Exempla in Codice Iuris canonici non desunt alia similia, Delictum est publicum (ait can. 2197) si iam divulgatum est, aut talibus contigit aut versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeant facile divulgatum iri. Nempe, alia est publicitas de facto, seu divulgatio actualis, alia publicitas de iure, seu talis status rerum vel adiuncta ut iudicari possit et debeat facilis divulgatio futura i. e. cum existat fundamentum divulgationis quod facit ut publicitas de iure existat, quamvis nemo actu prudenter iudicet delictum vulgatum iri.

De praevisione obiectiva in C. I. C.

17. Quoties Codex prudenter agendum praescribit, quod non raro sed multoties fit (Cfr. Lauer., *index verborum codicis iuris*

canonici, v. prudenter, pp. 868, 869), ad illam virtutem appellat quae recta ratio agibilium definitur. Quatenus nempe qui agit eo modo agere debet ut scopum a legislatore praefixum attingat. Prudentia autem exigitur ex ipsis rebus; unde sunt exigentiae rerum quibus ducuntur actiones ad finem intentum. Et sicut habetur iustitia obiectiva et subiectiva, sic etiam prudentia obiectiva et subiectiva distingui potest. Unde agere prudenter est media ponere quae ad finem conducunt, secundum regulas et principia quae applicata singularibus, haec scopum suum perficiunt.

Praevisio prudens facti futuri habebitur quoties, consideratis condicionibus quibus factum actuale evolvitur, inde factum futurum vel probabiliter vel moraliter certo deducitur. In primis ergo a facto actuali dependet, ex quo elementa ad futurum colligendum desumuntur aut desumi possunt. Iura, ut actus *liceitatem* decernant, praescribere possunt in agente praevisionem prudenter positivam, sine qua actio illicita evadat. Sic habetur in can. 1415 § 3, ubi erectio paroeciae sine congrua dote *licite* fit ab Ordinario, si prudenter praevideat ea, quae necessaria sunt, aliunde non defutura. Cfr. et cc. 750 § 1, 1165 § 2, 1489 § 2, 2147 § 2, 4°

In duobus casibus Codex requirit praevisionem prudentem cuiusdam facti futuri ad constituendam iuridicam quamdam rei vel subiecti conditionem; nempe can. 2197 et 2208 § 1. Publicitas delicti est conditio iuridica determinata a praevisione obiectiva seu fundata in talibus adiunctis facti delictuosi (can. 2197). Recidivus est qui rursus committit delictum et in talibus rerum ac praesertim temporis adiunctis ut eius pertinacia in mala voluntate prudenter coniici possit (can. 2208). In utroque casu agitur de praevisione prudente obiectiva, et est elementum necessarium constitutionis delicti publici aut delinquentis recidivi. Sed ibidem non agitur de actu cum praevisione ponendo.

De praevisione in can. 1098.

18. Unus est casus in quo praevisio prudens a iure requiritur ad actum *valide* ponendum: et est casus noster. In eo praevisio prudens in canone 1098 indicata requiritur tamquam elementum necessarium validi matrimonii extra mortis periculum, si absit parochus etc. De interpretanda hac prudente praevisione agitur; cum duplicem sensum habere valeat, illum sequamur oportet et seligere, qui magis actuum validitati favet, quam contrarius. Nam interpretatio facienda est quae magis faveat validitati actuum, iuxta axiomata iuris: omnis interpretatio admittitur ad sustinendum actum; interpretatio, quae fit pro validitate actus, est regina aliarum in-

terpretationum. Cfr. Barbosa, *axiomata iuris*, v. actum. Interpretatio quae magis matrimoniorum validitatem sustinebit, non dubium est fore interpretationem obiectivam seu prudentem praevisionem de iure. Et haec canonis interpretatio, quae verba in textu et contextu considerata non detorquet, admitti debet, si gravibus rationibus fulciatur. Sic etiam Lud. Bender O. P., *de matrimonii forma iuridica extraordinaria*, in angelicum, 1953, p. 178.

Argumenta pro praevisione obiectiva recensentur.

19. Rationes autem sunt: A) Haec interpretatio cohaeret cum disciplina ante Decr. ne temere servata, (quae ipsissima est cum hodierna Codicis disciplina), prout supra ostendibus (nn. 3-5). B) Spiritus novae dispositionis in Decr. ne temere contentae (VIII) luculenter probat legislatorem voluisse applicationem formae extraordinariae minus dependentem facere a praevisione subiectiva quam a facto obiectivo; quod in Codice habetur si respicitur fundamentum obiectivum prudentis praevisionis magis quam ipsa praevisio subiectiva ab aliquo efformanda. Cfr. supra nn. 7, 8. C) Codex iuris canonici quando prudentem praevisionem facit cuiusdam futuri exigit ad *liceitatem*, simul declarat, quis esse debeat qui actum praevideat, ut congruum est, quia liceitas vel illiceitas in subiecto tantum dari potest (cfr. canones supra n. 12 relatos); at cum agit de determinanda qualitate in facto aut in conditione subiecti iuris, prudentem tantum praevisionem obiectivam requirit (cfr. ib.). Logicum ergo est quod solum hanc obiectivam praevisionem prudentem de iure requirat ad statuendam actus *validitatem*, nec definiat quis praevidere debeat: et ita formula est cum verbo passivo indeterminato « *prudenter praevideatur* ».

20. D) Quae ad actus validitatem requiruntur incerta aut indeterminata remanere non debent. Si autem prudens praevisio in canone nostro requisita a subiecto fieri deberet, hoc subiectum determinari oporteret: iam in canone nulla determinato habetur subiecti qui praevidere debeat. Ergo ne incerta maneant matrimonia, de necessitate tantum prudentis praevisionis obiectivae agi necesse est, in quantum per se habet sufficientem determinationem.

E) Necessitas praevidendi permanentiam conditionis absentiae parochi etc. inducta est, ut de gravi incommodo in observanda forma ordinaria constaret. Cfr. supra n. 2. Ideo auctores loquebantur de incommodo diuturno, sine quo forma tridentina observatu impossibilis aut difficilis non concipiebatur. Atqui tale incommodum in adiunctis ipsis consistit, quibus forma extraordinaria celebratio-

nis matrimonii permittitur. Ergo si praevisio prudens obiectiva haberi potest, iam incommodum verificatur propter quod ius naturae praevalere censendum esse antiqui tenebant auctores.

21. F) Gravissima consectaria in opposita sequi sententia nemo non videt, praesertim pro locis missionum, et in multis aliis et nationibus, ubi persecutio catholicorum quotidie fit crudelior et saevior. In eis absentia parochi est quasi continua et matrimonia secundum canonem 1098 contrahi debent, ne ansa multiplicibus formis concubinariis detur. Adde casus occurrentes tempore belli, epidemiae etc. Cum autem coniuges de praevisione facienda multi ne cogitent quidem, cumque ceteri qui testes fungere debent in eadem conditione sint, cum denique instructiones missionariorum ea de re ne intelligi quidem a plerisque dici debeant, etc. haec omnia matrimonia ob defectum praevisionis subiectivae, in illa sententia invalida dici deberent. Praeterea praevisio subiectiva apud rudes in multis casibus difficulter prudens erit, non quidem ob errorem solum sed ob levitatem quoque animi vel religionis indifferentiam. Ni istis matrimoniis solidum fundamentum validitatis ponatur, gravia dubia fere constanter de eorum valore surgere debebunt; neque solvi poterunt ex praevisione obiectiva, sed ex examine praevisionis subiectivae. Id fere impossibile erit si subiectiva praevisio pro validitate matrimonii non tantum ab sponsis ipsis sed ab aliis etiam efformari *posset*. A quibus nempe?

Obiectiones

22. Obiectio maior contra hanc sententiam fieri videtur ex Responsione Pont. Commissionis Codicis I. C. Interpretis diei 10 novembris 1925 (AAS, vol. XVII, p. 583), quae sic se habet: *utrum secundum canonem* 1098 *ad valide et licite matrimonium coram solis testibus contrahendum sufficiat factum absentiae parochi, an requiratur etiam moralis certitudo, ex notorio vel ex inquisitione, parochum per mensem neque haberi neque adiri posse sine gravi incommodo.* Responsio fuit: NEGATIVE AD PRIMAM PARTEM, AFFIRMATIVE AD SECUNDAM.

Obiectio sic efformari potest: ad contrahendum secundum canonem 1098 non sufficit mera absentia parochi (1ª pars Responsi); requiritur insuper certitudo moralis: vel quod absentia sit per mensem duratura vel quod per eumdem mensem nequeant sponsi illum adire sine gravi incommodo; haec autem certitudo moralis constabit aut ex notorietate facti aut ex inquisitione (2ª pars). Atqui sive notorietas sive inquisitio de rerum statu supponunt actum subiecti

inquirentis aut cognoscentis i. e. praevidentis conditionem rerum per mensem duraturam. Ergo. Aliis verbis Responsum insistit in certitudinis moralis subiectivae necessitate.

23. Sed responderi potest: certitudo moralis in subiecta materia, de qua loquitur Responsum, *obiectiva* sit oportet i. e. innixa *motivis obiectivis*. Certitudo moralis subiectiva, si sit *mere subiectiva*, i. e. careat solidis rationibus, pro scopo nostro valere non potest, sicut nunquam valet pro pronuntianda sententia (c. 1869 § 1) vel pro actibus ponendis in quibus certitudo moralis a iure requiritur (cc. 1061 § 2, 1990). Certitudo in his casibus intelligenda est ut certitudo obiectiva. Ait Pius XII: « questa certezza va intesa come certezza obiettiva, cioè basata su motivi oggettivi; non come una certezza puramente soggettiva, che si fonda sul sentimento o sulla opinione meramente soggettiva di questo o di quello, forse anche su personale credulità, sconsideratezza, inesperienza » AAS. vol. 34 (1942), p. 341.

Responsum ergo Pont. Commissionis significat prudentem praevisionem, de qua canon 1098, niti oportere in *motivis obiectivis*, quorum inveniendis duplicem fontem assignat: notorietas rerum conditionis, secundum quam omnes pro certo habent parochum in loco per mensem non adfuturum; et inquisitio, in defectu notorietatis, quatenus talis rerum conditio ex indagine apparebit, quae ad eamdem certitudinem ducet. Sed Responsum nullatenus requirit ut inquisitio fiat in ordine ad matrimonium contrahendum. Quare Responsum Pont. Commissionis nullatenus directe tangit nostram quaestionem.

24. E contra Responsum indirecte nostram sententiam confirmare dicendum est. Nam si agatur de iudicanda validitate matrimonii celebrati extra mortis periculum ad normam can. 1098, iudex, sec. Responsum, indagare debet, an certitudo moralis in loco celebrationis matrimonii habita sit de absentia parochi per mensem duratura. Si iudex deprehendat absentiam parochi, per mensem duraturam fuisse notoriam in loco ubi matrimonium celebratum est coram solis testibus, matrimonium validum declarabit. Sed notorium componi potest cum defectu praevisionis subiectivae, praesertim contrahentium, et ab eadem abstrahere potest (cfr. can. 2198, 3°). Si autem indagando in rerum conditiones tempore celebrati matrimonii coram solis testibus, iudex moraliter certo concludit eo loco et tempore abfuisse parochum et praevideri potuisse illam absentiam per mensem duraturam, item matrimonium validum declarare debebit. Haec tantum iudex videat necesse est. Si enim investigatio

de facto *tunc* instituenda fuisset *ad validitatem* coniugii, ita ut ea non peracta, quamvis conditiones rerum essent sufficientes ad postulata canonis 1098, matrimonium fuisset nullum, Codex necessario requirere debuisset *sub poena nullitatis talem indagationem* (can. 11); quod certo non fecit, nec Responsum Commissionis illam fuisse faciendam declaravit.

25. In nostra sententia sunt maior pars auctorum, sive implicite, sive explicite. Implicite sunt Cappello, Gasparri, Wernz-Vidal, Dalpiaz aliique. Explicite sunt Payen, Vromant, Segura Elizmendi (dissertatio in Pont. Inst. Utriusque iuris), Bender (loc. supra cit.).

Unus contrarius est Oesterle (*Apollinaris*, 1936, p. 451). Sed sententia huius auctoris adeo est exaggerata ut requirat et partes et testes *formaliter* scire debere se agere secundum can. 1098, i. e. agi de matrimonio canonico seu catholico, cum intentione ex parte sponsorum ineundi nuptias canonicas et ex parte testium cum voluntate assistendi matrimonio canonico. Bene ipsum refutat Dalpiaz (*Apollinaris*, 1937, pp. 272-275). Imo, cum haec incidant in quaestionem alteram nobis proponendam, iterum de sententia P. Oesterle agemus in sequentibus. Etiam Miceli (*Monitor ecclesiasticus*, 1950, pp. 234-237) videtur cum sententia P. Oesterle concordare.

26. Coronidis loco liceat animadvertere, eos, qui dubium proponunt, adeo esse praeocupatos de praevisionis aliquo necessario subiecto, ut quaesitum conceperint de praevisione «subiective et formaliter et *apud ipsos* nupturientes » necessaria, secundum can. 1098. Id neque Oesterle (l. c. p. 453) admittit, cum scribat: « certissime neque nupturientes neque testes c. 1098 qua talem cognoscere debent; insuper neque nupturientes neque testes *personaliter* praevidere debent competentem sacerdotem supra mensem esse abfuturum. Tota causa celebrandi matrimonii in forma extraordinaria ad normam c. 1098 ab aliis personis praeparari poterit, v. gr., a sacerdote, de quo in c. 1098, a catechista, a sorore missionaria, a parentibus, a secretario etc.; sed ipsi sponsi id saltem scire debent se posse sub hac forma iniri matrimonium canonicum ».

27. Quare dubio quod supra (n. 1) propositum est, sic respondendum censerem: (*Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

* * *

Applicatio can. 1098 matrimonio civili.

28. Alterum dubium, quod saepius propositum est, sic enuntiari posset:

Utrum catholicorum nuptiae coram magistratu in actu, quem aiunt, civili celebratae, si omnes conditiones adsint a canone 1098 requisitae, validae et licitae dicendae sint.

29. Quaesito respondetur primum ex auctoritate Sacrarum Congregationum.

S. C. de Sacramentis die 4 martii 1925 ad Episcopum Pinskensem de mixtis nuptiis coram ministro acatholico celebratis, respondit: *si omnes conditiones extiterint, quae a can.* 1098 *pro validitate matrimoniorum coram solis testibus requiruntur, circumstantia qua huiusmodi matrimonia fuerunt benedicta in ecclesia acatholica, non validitati, sed liceitati obstat.* (Responsum allegatur ab auctoribus, Močnik, *Apollinaris*, 1936, p. 307; Dalpiaz, *Apollinaris*, 1937, p. 277). Quodsi id de nuptiis coram acatholicis praedicatur, aequo iure valet pro nuptiis civilibus.

Eadem S. C. de Sacramentis in facultatibus quas concedere solet tempore persecutionum, hanc quoque recenset: « sanandi in radice *matrimonia coram magistratu civili et duobus testibus...* nisi contrahentibus, liberis a dictis impedimentis, applicanda sit norma a canone 1098 cum authenticis interpretationibus dierum 10 novembris 1925 et 25 iulii 1931 statuta; *quo in casu valida et licita sunt matrimonia talibus in adiunctis contracta* ». Ita occasione belli civilis in Hispania, die 13 ianuarii 1937. Cfr. sal terrae, 1938, p. 72, et optimum commentarium R. P. Regatillo, e. l., p. 134.

Constat quoque mihi de quibusdam recentissimis rescriptis ab eadem S. C. datis, in quibus idem proponitur.

